DE

MARTYROLOGIO ROMANO.

DE MARTYROLOGIO ROMANO.

PARERGON
HISTORICO-CRITICUM.

SCRIPSIT

HUGO LAEMMER,

THEOL. ET PHIL. DR. IN UNIV. LITT. VRATISLAV. TH. PROF. PUBL. ORD. ECCL. CATHEDR. AD S. JO. B. CANON. CAP. ETC.

RATISBONAE.

TYPIS ET SUMPTIBUS GEORGII JOSEPHI MANZ.

MDCCCLXXVIII.

I.

Biennio fere post absolutam Calendarii reformationem Gregorius Papa XIII. Romanum Martyrologium librariorum typographorumque negligentia mendosum per viros eruditos ad fidem historiae, quae rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam codicibus vetustioribus atque emendatioribus, correctum et multis in locis auctum, proposita simul atque explicata Epactarum Lunaeque singulis diebus numerandae ratione, ut ederetur Ecclesiae more in Choro legendum curavit editumque Litteris Apostolicis Romae d. XIV. m. Januarii a. 1584 datis promulgavit. Huius autem Martyrologii Gregoriani origines et historiam examinaturo duplex mihi inprimis videtur esse disceptanda quaestio, scilicet: quinam viri eruditi, quos in suis editioni Romanae a. 1584 praefixis litteris innuit Summus Pontifex, provinciam susceperint restituendi Martyrologium ad novam Calendarii rationem et ecclesiasticae historiae veritatem; deinceps vero quibus praesidiis innixi ac suffulti Correctores iidem partes suas adimpleverint.

II.

Ad prius quidem momentum quod attinet, si Prosperum Lambertinium consulimus, is in opere suo classico de Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione L. IV. P. II. C. XVII, 5 testatur Martyrologii castigandi curam a Gregorio XIII. demandatam fuisse Silvio Antoniano Canonico S. Petri, Roberto Bellarmino Presbytero Societatis Jesu, Caesari Baronio Presbytero Oratorii, Ludovico de Torres Archiepiscopo Montis Regalis in Sicilia, Joanni Baptistae Bandino Canonico S. Petri, Michaeli

Ghisilerio Theatino et Bartholomaeo Gavanto Barnabitae.[1]) Econtra Augustinus Theiner in Annalibus Ecclesiasticis a. a. 1584 n. 137:[2]) „Hoc demum,“ inquit, „anno Martyrologii Romani emendatio, quam Baronius noster magna cum diligentia, ingentique sui nominis gloria, Summo Pontifice expetente et iubente, susceperat, absoluta fuit: atque hoc sane opus, cuius in Vallicellana Bibliotheca autographum signatum B. 13 habemus, per se ipsum tantum nomen auctoris posteris commendare posset.“ [3])

[1]) *Benedicti XIV.* olim Prosperi Card. de *Lambertinis* Opp. omnia Vol. IV. (ed. *Prat.* 1841) p. 562.

[2]) *Aug. Theiner,* Ann. Eccl. Tom. III. Romae 1856. p. 618.

[3]) Cfr. L. *Ferraris* Bibliotheca Can. etc. (ed. Par. 1865. *Mign.*) Tom. V. p. 309: „Gregorii XIII. iussu ad Romani Martyrologii correctionem manum admovit Baronius, et emendatum anno 1581 vulgavit.“

III.

Ast neque chartae in tabulario Oratorii servatae, quas citat, neque litterae Apostolicae d. 14. Januar. 1584 datae, quas contextui Annalium inseruit integras, vim habent probandi assertionem Theineri, quod Gregorius XIII. Martyrologium a Baronio correctum ab omnibus recipi usurparique mandaverit. Etenim Papa nullam prorsus Baronii facit mentionem in promulganda editione ipsius iussu adornata; imo pluribus, non uni viro negotium arduum expurgandi Martyrologii fuisse commissum insinuat. Codex autem Vallicellanus B. 13 haud autographum operis typis excusi de quo agitur, exhibet, sed in eo potius insunt Baronii Adnotationes autographae*) pertinentes ad „Martyrologium Romanum singulis anni diebus iuxta novam Calendarii rationem accommodatum. Gregorii XIII. Pont. Max. iussu editum,“ id est ad Codicem eiusdem Bibliothecae Q. 29 signatum, cuius in limine manus aliena quod sequitur monitum addidit: „Hoc parvo Volumine usus est Caesar Card. Baronius, quum suas ad Rom. Martyrologium primas Notationes adornaret, propria manu litteris Alphabeti notationum indicibus distincto et obsignato.“

*) Appendix ad Notationes in idem Martyrol. scripta propria manu Card. Baronii habetur in Cod. Vallicell. Q. 32; Correctiones autem ad textum Martyrologii a Baronio adnotatae cum rationibus earundem Jacobi Vulponii reperiuntur in Cod. Vall. G. 82 f. 27.

IV.

Quamquam igitur non possumus quin infitiemur, Baronium fuisse auctorem Martyrologii Gregoriani unicum,[1]) tamen eximium ipsi inter Correctores deputatos assignare locum non dubitamus, quum documenta quae perscrutati sumus authentica redarguant admodum evidenter hypothesin Matagnii, qui Theinerianae relationi nimis laconicae ac parum exactae fidem habere haesitans in aliud impingit extremum, quatenus Baronium ad elaborandam editionem a. 1584 minime manum admovisse coniicit.[2]) Verum ut ad Prosperum Lambertinium revertamur, cuius sane acerrimum iudicium atque omnigena eruditio summam meretur admirationem, eum in elencho supra laudato Castellani[3]) sententiam non adamussim exploratam constat adoptasse.[4]) Catalogus autem iste, quippe qui vera cum falsis commisceat, accuratam postulat cribrationem. Nomina enim continet omittenda, omittit supplenda. Ut ingenue id quod res est dicam, cum Castellano Lambertinium fefellit index quem Meratio[5]) debemus virorum doctorum, quibus Clemens VIII. munus iniunxit Breviarium Pianum denuo examinandi ac quae depravata essent et recognitione indigerent restituendi.[6]) Baronium quidem et Antonianum, Bellarminum et Ludovicum de Torres, Bandinum, Ghislerium et Gavantum reformatores fuisse Breviarii sub Clemente VIII. certo haud ambigimus; at omnes hos septemviros prorsus totidem iam pridem a Gregorio XIII. esse delectos qui Martyrologio emendando allaborarent, negamus.

---

[1]) Id ipsum sentire videtur *Janus* (Der Papst und das Concil. Leipzig 1869. p. 422. Cfr. *Friedrich,* Gesch. des Vatic. Konzils. I. Bonn 1877. p. 15 sq.), qui sua in Baronium probra vix iactasset, si Notationes in Martyrologium citra partium studia ac maturo iudicio examinasset.

[2]) P. H. *Matagne* in Dissert. inscr. „Le Martyrologe Romain actuel“ ap. Car. de *Smedt,* Introd. Gen. ad Hist. Eccles. crit. tract. (Gandav. 1876) p. 146: „ . . . Baronius, à qui d'ordinaire on attribue la correction du Martyrologe romain, mais sans aucune preuve. Nous avions quelque espoir de trouver la vérité à ce sujet dans les Annales ecclesiastici du P. Theiner, qui aurait bien pu consacrer quelques heures de recherche à l'histoire d'une des plus brillantes lumières de son ordre. Nous avons été déçus. Le continuateur de Baronius affirme comme tant d'autres avant lui que son illustre prédécesseur a corrigé le martyrologe approuvé par Grégoire XIII. Il ajoute que le manuscrit autographe est conservé

à la Bibliothèque de la Vallicella. Mais jusqu' à preuve du contraire, nous sommes en droit de croire qu' il s'agit du manuscrit de l'édition de 1586, et non de l'une des trois précédentes. Baronius qui parle si souvent dans ses lettres de son commentaire et de l'édition de 1586, aurait laissé entrevoir en quelque endroit ce qu'il avait fait auparavant, s'il avait réellement mis la main à l'édition de 1584."

[3]) Cfr. Claudius *Chastellain*, a Bollandistis saepe citatus, in Praef. Oper. cui titulus: „Le Martyrologe universel contenant le texte du Martyrologe traduit en françois et deux additions" etc. Paris 1709.

[4]) Qui étaient donc les eruditi viri auxquels le Pape donna l'ordre de revoir le Martyrologe? Chastellain en nomme sept, tout en annonçant qu'il va donner les noms des huit commissaires choisis par Grégoire XIII. Ce sont Silvio Antoniano, Bellarmin, Louis de Torres, Baronius, Jean Baptiste Bandini, Michel Ghislieri et Barthélemi Gavanti. Le numéro 7 est omis, et nous ne pouvons combler cette lacune, d'autant moins importante que Chastellain s'est certainement trompé dans sa liste . . Prosper Lambertini (Benoît XIV.), si bien placé pour découvrir la vérité, n'a malheureusement pas songé à refaire le travail de Chastellain. *(Matagne* l. c. pp. 145 et 142). *Lambertinius* ipse (De serv. Dei beatif. IV. 2. 17 n. 8) fatetur, se ex Praefatione ad Martyrologium universale a Castellano Parisiis a. 1709 editum desumpsisse quae adduxit nomina Correctorum.

[5]) *Gavanti* Thesaurus Sacrorum Rituum cum additionibus *Merati*. Tomus secundus (Venet. 1749) p. 17 (Sect. II. cap. 3).

[6]) Cfr. lib. m. inscr. „Coelestis Urbs Jerusalem" (Friburg. 1866) p. 88.

V.

Quattuor saltem nomina (videl. Bellarmini et Ghisilerii, Gavanti et Bandini) in Castellani elencho quem Lambertinius repetiit expungenda ipsisque alia sunt substituenda. Nam Bellarminus, qui in autobiographia sua labores quorum fuit socius recensens v. gr. de editione Vulgatae Sixtina secundis curis correcta necnon de recognitione Breviarii Clementina ac de disceptationibus hanc per occasionem cum Baronio habitis loquitur, *) quaestionem Martyrologicam silentio praeterit. Michael autem Ghisilerius († 1646) et Bartholomaeus Gavantus († 1638), quo tempore Gregorius XIII. congregationi virorum eruditorum Martyrologii correctionem concredidit, adhuc adolescentes vix aut omnino non studia SS. Ordinibus suscipiendis praevia absolverant. Bandini porro ad apparandam emendationem istam symbolarum quodvis deest vestigium. In medio tamen relinquo, Ludovici de Torres nomen sitne delendum an servandum in catalogo Lambertiniano. Archiepiscopus Montisregalis, a quo

Baronius se acta S. Agrippinae accepisse testatur, ex Sicilia Romam non videtur fuisse a Gregorio XIII. accitus ad obtinendum inter reformatores Martyrologii locum, quem haud abiudicaverim ipsius nepoti, Ludovico de Torres, utriusque Signaturae in Urbe Referendario, cuius doctrinam mirifice coluit Baronius et cuius iudicii statera suos labores prius examinari voluit quam in hominum conspectum prodirent.

*) Cfr. Voto dell' Emo e Reumo Sgr Card. Domenico *Passionei* fatto e presentato a N. S. Papa Benedetto XIV. nella causa di beatificazione del Ven. Servo di Dio Card. Rob. Bellarmino (*Cod. Angel.* D. 2. 22 n. XX) et Dom. *Sarra,* Vita del. Ven. Card. Cesare Baronio (Roma 1862) p. 135.

VI.

Jam vero si nec Theinero nec Lambertinio calculum adiicere licet simpliciter, quamvis cum uno Baronium et cum altero simul Silvium Antonianum operam in Martyrologio Gregoriano posuisse lubenter agnoscamus, fieri nequit, ut lucem quam desideramus in problemate [1]) de quo agitur solvendo assequamur, lacunas quas notavimus expleamus, menda et dubia hucusque trita tollamus, nisi ad fontes genuinos ac sinceros recurramus, i. e. ad Baronii Epistolas, Annotationes aliaque Manuscripta eiusdem ipsius Bibliothecae Vallicellanae ab Augustino Theiner allegatae, quam insignem iure nuncupavit Benedictus XIV. [2]) Summa profecto laude dignus est Raymundus Albericius, qui collatis cum Josepho Blanchino et Andrea Gallandio consiliis Baronii Epistolas ab oblivione vindicaturus collegit, disposuit, tribusque voluminibus comprehensas in communem protulit utilitatem. [3]) Tantum autem abest, ut — quemadmodum ex meis Anecdotis Baronianis [4]) et ex Mantissae meae sexta parte [5]) liquido patet — integrum quod habetur in Codicibus Vallicellanis Q. 42. 43. 44. 45. 46. 47 (Carteggio del Card. Baronio) [6]) litterarum commercium reddat collectio Albericiana, ut quae in ipsa desunt documenta epistolaria per editorem neglecta numerum superent centenarium. Huiusmodi aliquot non parum iuvant ad collustrandam quaestionem de origine et historia Martyrologii Gregoriani tenebris offusam.

[1]) Le problème reste entier et ne sera résolu que par l'étude approfondie des archives romaines. (*Matagne* l. c. p. 148.)

[2]) S. D. N. *Benedicti XIV.* Litterae Apostolicae de nova Martyrologii Romani Editione ad Joannem V. Portugalliae Regem (d. 1. Jul. 1748) n. XIV. Cfr. Cenni storici della Biblioteca Vallicelliana per Giuseppe *Lais.* Roma 1875.

[3]) Ven. Caesaris Baronii S. R. E. Card. Bibl. Epistolae et Opuscula pleraque nunc primum ex archetypis in lucem eruta. Rec. Raym. *Albericius.* Romae 1759 sq. Supplementi instar ex Cod. 15704 Bibl. Reg. Bruxellens. P. F. X. de *Ram* hausit et vulgavit: Lettres (7) de Laevinius Torrentius et de Christophe Plantin au Cardinal Baronius (Extrait du tome XI n. 1, 2.me serie, des Bulletins de la Commission royale d'histoire).

[4]) Analecta Juris Pontificii. Rom. 1860. p. 273 sq.

[5]) Meletematum Romanorum Mantissa. Ratisbonae 1875. p. 351 sq.

[6]) Cfr. Analecta Romana Scaphusiae a. 1861 a me edita p. 73.

VII.

Itaque perquirenti mihi quae in schedis habeo ex Codicibus Romanis excerpta, ante annum 1580 non occurrit ullum de consilio reformandi Martyrologii indicium. Die autem sexta Decembris a. 1580 Caesar Baronius in epistola quam ex Urbe Soram transmisit ad patrem suum, inter alia scripsit haecce: „Sua Santità si serve di me nella riformatione del Martirologio, per laquale si fa una Congregazione d'huomini eccellenti, et il Reverendissimo Sirleto mi ha eletto per uno di quelli, il che certo è cosa di qualche importanza. Si son fatte finqui parecchie congregationi e per gratia del Signore sono in maggior concetto di quello che la mia bassezza merita. Datene laude a Dio benedetto, qui de stercore erigit pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui." *) Quo quidem contextu edocemur, Gregorium XIII., annuarum revolutionum restauratorem, iam biennio saltem antequam Calendarium regulis astronomiae accommodatum promulgaverit, in cogitatione curaque Martyrologii etiam reparandi versatum et in negotio hoc conficiendo opera usum fuisse Baronii inter alios viros doctrina insignes a Sirleto adlecti nec levem assecuti auctoritatem in pluribus congregationibus per annum 1580 ideo habitis, ut mutuae de causa proposita fierent deliberationes.

---

*) *Cod. Vallicellan.* Q. 46 fol. 49.

VIII.

Vix magis eruditum Summus Pontifex collegio Correctorum Martyrologii praeficere poterat Cardinalem quam Guilelmum Sirletum, a Mureto spirans musaeum appellatum, ab Hosio tanquam oraculum scientiarum et a Rescio velut vivam Christi bibliothecam celebratum.[1] Natus in Calabria a. 1514, Sirletus Neapoli totus studiis immersus nec solum absolutissimam trium linguarum hebraicae, graecae ac latinae cognitionem adeptus, sed etiam in mathematicis, philosophicis, theologicis disciplinis et in quovis scientiarum genere adeo perfectus, ut ad ipsum quicunque aliqua in litteris quibuscunque difficultate tenebantur recurrerent, a Pio IV. in sacrum senatum relatus, etsi aetatem omnem in divinis oraculis, sanctorum patrum monumentis, conciliorum decretis ecclesiasticisque historiis consumpsit, nihil tamen ex operibus ab ipso exaratis et in Bibliotheca Vaticana adservatis edere voluit nisi variantes in Polyglotta Antverpiensi lectiones Ariae Montano transmissas. Praeterquam autem quod Missalis, Breviarii et Catechismi reformationi iuxta mentem Concilii Tridentini, necnon Indici librorum prohibitorum eorumque expurgationi incubuit officiosissime, in restituendis SS. Bibliis[2]) edendisque Synodi Florentinae actis[3]) et emendando Decreto Gratianeo[4]) laboravit indefesse. Igitur qui tantam occupationum ecclesiasticarum molem sustinere valuit, negotio etiam vindicandi a mendis Martyrologii praeesse idemque sua industria et iudicio promovere haud recusavit.

---

[1]) Cfr. *Tiraboschi* Storia della Letteratura Italiana VII, 1, 345 sq. Cesare *Cantù,* Gli Eretici d'Italia. Vol. II. (Torino 1866) p. 246 et *Hurter,* Nomencl. litterarius recentioris Theologiae catholicae. Tom. I. Oenipont. 1873. p. 189.

[2]) *Kaulen,* Geschichte der Vulgata. Mainz 1868. p. 442.

[3]) Cfr. Sirletiana in m. Melet. Rom. Mantissa p. 345.

[4]) *Antonii Augustini* Dialogorum Libri II. Paris. 1760. p. 237; *Berardi,* Gratiani Canones genuini. Ed. 2. Venet. 1783. I. p. XXXVI sq.

IX.

Quod a Sirleto cooptatus Caesar Baronius in consultationibus mox apud collegas singularem sibi conciliaverit observantiam, mirum id videri nequit. Inde enim ex anno 1560 S. Philippi Nerii, spiritualis vitae magistri, monitis ad Ecclesiasticas historias in Oratorio S. Hieronymi enarrandas compulsus et operi Annalium exstruendo deditus, [1]) per duo decennia nobilissimarum Urbis bibliothecarum, praesertim vero Vaticanae tanquam ditissimi rerum antiquarum promptuarii, angulos lustraverat, libros tam manu exaratos quam typis editos inprimisque SS. Patrum volumina accurate pervolverat, imo ex ipsis cryptis, lapidibus, numismatibus omnibusque antiquitatis Romae exstantibus monumentis latentem rerum notitiam investigaverat, in ecclesiasticae historiae veritate invenienda ac stabilienda exactam iudicis aequissimi trutinam adhibuerat, [2]) Centuriatorum Magdeburgensium fallacias confutaturus. Primum autem operosissimae Annalium molis tomum, qui anno demum 1588 typis Vaticanis prodiit, iam mense Aprili a. 1579 contextum fuisse et absolutum constat. [3]) Eodem porro anno quo ad Martyrologium reformandum cum aliis a Sirleto est designatus, Baronius non solum Commentaria in Acta Apostolorum [4]) elucubraverat, sed etiam Vitam S. Gregorii Nazianzeni a se conscriptam [5]) Gregorio XIII. dicaverat. [6])

---

[1]) *Faber*, Das Leben des heiligen Philipp Neri. D. von Reiching. Regensburg 1859. p. 65 sq.

[2]) Cfr. *Codd. Vallic.* Q. 7. (Ordo qui servandus proponitur in Historia Ecclesiastica pervestiganda) et Q. 8 (Adnotanda pro Annalibus Ecclesiasticis contexendis).

[3]) Mel. Rom. Mantissa p. 353.

[4]) *Codd. Vallic.* Q. 36. 37. Anecdota Baronian. p. 278.

[5]) *Cod. Vallic.* Q. 34. *Bolland.* Acta SS. 9. Maii. Cfr. *S. Gregorii Theol.* Opp. ed. *Migne.* I. 147 sq.

[6]) *Raym. Albericius* I, 165 sq. Cfr. *Baron.* in Not. a. Mart. d. 9. Maii: „S. Gregorii episc. Naz. Vitam, amicis efflagitantibus, descripsimus: quam Summo Pontifici S. D. N. Gregorio XIII. tanti Patris studiosissimo obtulimus, eo potissimum tempore, quo ille totius Urbis exultatione celeberrimam corporis eius a sacrarum virginum Ordinis S. Benedicti monasterio in campo Martio ad Gregorianum sacellum praeclarissimo opere ac maxima impensa in Vaticana basilica principis Apostolorum exstructum, translationem peregit.“

X.

Posteaquam humeros novo oneri ferendo subiecit, a Summo Pontifice, ut sumptus ad comparanda praesidia litteraria necessarios tolerare posset, sublevatus stipendio decem aureorum menstruo[1]) Baronius in provincia sibi demandata omnes nervos intendit naviterque exantlavit labores, qui elapso vix duorum annorum spatio ferme confecti ad terminum pervenerunt. In exordio enim epistolae ad patrem suum die 10. m. Januarii 1582 datae:[2]) „Domenica,“ ait, „passata mi mandò a chiamare il Card. Sirleto, e conferissimo insieme un pezzo sopra del Martirologio; dandoli bon conto delle cose che dubitava, mi disse: si cominciarebbe a stampare il mese di Febraro o al più al mese di Marzo, che già le fatighe sono a bon termine. Però fin che non sia finito di stampare, non si puol levare le mani di sopra, che bisogna attendervi fin all' ultima riga.“ Tunc ergo id agebatur, ut exemplar Martyrologii restituti mense Februario aut Martio eiusdem anni 1582 prelo typographi esset tradendum. Atvero quum impressio operis inchoaretur, quam voluit ipse in singulas plagulas errataque earum tollenda non potuit conferre Baronius diligentiam, distractus cura animarum et annexis ministeriis sat multis ac gravibus, quibus accessit duplex praeterea impedimentum.

---

[1]) Ho speso fra 5 mesi più di 40 scuti in libri et bisogna comprar delli altri et tutto questo con far debito . . perche delli 10 scuti del Papa, cavatene le spese, solo 4 ne posso mettere da banda il mese . . (Cesare Baronio al Padre, Di Roma li 8 di Novembre 1581. *Cod. Vallic.* Q. 46. f. 60). Cfr. Vita Caesaris Baronii ex Congr. Orat. auctore Hieronymo *Barnabeo* Perusino. Romae 1651. p. 46.

[2]) Mantissa VI, II. 6 p. 355.

XI.

Felix nempe tituli S. Hieronymi Cardinalis a Montealto, qui S. Ambrosii Ecclesiae Doctoris scripta sive temporum iniuria sive librariorum negligentia et inscitia depravata ad integritatem

et pristinum splendorem restituere decreverat,[1]) vitam quoque et mores eiusdem sanctissimi Episcopi resque ab eo mirabiliter gestas pervulgaturus initio anni 1582 a Baronio petiit,[2]) ut quae is in contexendis Annalibus de Ambrosio ex probatissimis auctoribus atque adeo ex ipsomet Ambrosio accurate descripta notasset, eadem seorsum colligeret et inter se ad Vitae formam connecteret. Obediendi igitur alacritate conspicuus Doctoris Mediolanensis Vitam Baronius ita fideliter conscripsit, ut nihil nisi exploratum ex fontibus afferret et omnia per temporum seriem digereret, conscriptamque Idibus Decembris a. 1583 obtulit[3]) Cardinali a Montealto, qui deinceps ad apicem Pontificatus evectus eandem typis excusam in fronte tomi quinti editionis Vaticanae Operum S. Ambrosii collocari praecepit.[4]) Alterum autem quod innui impedimentum fuit iter mense Januario a. 1583 a Baronio institutum iussu Gregorii XIII., qui eum motu proprio Neapolim misit ad negotium quoddam ecclesiasticum secreto cum Nuntio Apostolico et Archiepiscopo istius urbis pertractandum. Missus mandatis satisfecit et post absentiam triginta dierum reversus est Romam.[5])

---

[1]) Cfr. Sixtus der Fünfte von Alex. Frh. v. *Hübner* (Lpz. 1871) I, 198.

[2]) Venerdi di prossimo passato mi mandò a chiamare il Cardinal Montaldo, qual ha fatigato un pezzo per la correttione dell' opere di S. Ambrosio, et essendo hormai in precinto di farle stampare, mi pregò ch'io pigliassi una fatiga in mettere insiemi quanto si trovasse di quà di là disperso nell' autori antichi sopra dell' attioni di detto Santo, e correggere alcune cose, quali altri havessero poste, non come dovevano pare. Promesi di farlo, e farlo con diligentia. (Lettera di *Baronio*, Roma li 10 di Gennaro 1582. *Cod. Vallic.* Q. 46 fol. 49.)

[3]) Vita *S. Ambrosii* Episc. Mediol. scripta a Caesare Baronio Sorano. Opus autographum. *Cod Vallic.* Q. 35. („Paulinus sanctissimi viri res praeclarissime gestas conscripsit: rursus autem ex recentioribus Costerius. Legi in bibliotheca Sfortiana cod. manuscr. vitam S. Ambrosii Graece scriptam sine auctore: quibus omnibus cum nonnulla adhuc deesse conspicerem, eademque non parvi momenti et auctoritatis, singula in unum collegi atque ordine temporum disposui." *Baron.* i. Not. a. Mart. d. 7. Dec.) Cfr. *Villarosa*, Memorie degli Scrittori Filippini. Napoli 1837. I, 46.

[4]) Felicem a Montealto ne a causa quidem Martyrologii reformandi fuisse alienum, apparet ex Baronii autographo quod sic exorditur: „Essendo che Sua Santità dal tempo ch'era Cardinale mi disse, che desiderava, che nel Martirologio Romano vi si mettesse la festa delle Stigmate del glorioso S. Francesco; ora stampandosi di nuovo detto Martirologio con le annotationi, et mettendosi detta solennità a dì 17. di Settembre, come è solita celebrarsi, et questo per ordine di V. S. Illustrissima et Reverendissima, ora desidererei, che ne fusse avvisata Sua S. che mi ordinasse in qual loco di detto giorno, se nel principio, se dopo gli martiri, o nel

fine gli par che si metta ecc." Etsi vero nulla in autographo habetur inscriptio et temporis nota, rationes tamen internae prorsus mihi persuadent, istam epistolam anno 1586 scriptam fuisse ad Antonium Card. Caraffam, non autem ad Guilelmum Card. Sirletum, quemadmodum *Albericius* (I, 169) autumat. Nam Sirletus 8. Id. Octobris a. 1585 obiit, antequam commentarius in Martyrologium, cuius mentio fit in epistola nostra, per typos exscribi coeptus est.

[5]) *Cod. Vallic.* Q. 63. Mantissa pag. 356.

XII.

Lambertinio adstipulati inter laboris socios a Sirleto adscitos haud negavimus (VI) connumerandum esse Silvium Antonianum,[1]) Onuphrii Panvinii in suis ad Platinam additionibus novam vanamque de Cathedra S. Petri Antiochena opinionem astruere conati adversarium, cuius feracissimo ingenio plura debentur monumenta e latebris christianae modestiae ipsius in publicum non vindicata. Expleturi autem catalogi Lambertiniani (II), in quo quatuor saltem nomina duximus esse delenda (V), lacunas, si quae sparsim a Baronio notata nobis occurrunt colligimus, cum Sirleto, Baronio, Silvio Antoniano non dubitamus inter reformatores Martyrologii locum assignare

a) Aloysio Lilio,[2]) qui peculiare navavit studium constructioni tam tabellae litterarum Martyrologii perpetuae, quam tabulae aequationis Cycli Epactarum, dispositioni et coniugationi aureorum numerorum cum Epactis, aliorumque momentorum explicationi ad pronuntiationem Lunae pertinentium;

b) Petro Ciacono Toletano, qui una cum Lilio et Clavio etiam correctioni Calendarii diligenter institit,[3]) ad antiquos scriptores instaurandos bono publico tanquam de coelo delapso,[4]) in restituendo Arnobium, Tertullianum, Cassianum, S. Isidorum Hispalensem sollertissimo, cito nimis (d. 26. Octobr. 1581) ex humanis sublato;

c) Gerardo Vossio Belgae, de antiquitate ecclesiastica illustranda et de sanctorum Patrum monumentis pene deperditis adinveniendis ac recuperandis in lucemque proferendis[5]) optime merito, quocum Romae magna Baronio[6]) intercessit familiaritas;

d) Latino Latinio insigniter erudito, Correctoribus quoque Decreti Gratianei adgregato,[7]) qui in mendis illapsis cognoscendis lynceos habuit oculos;[8])

e) Curtio Franco, Canonico S. Petri in Vaticano, qui in perquirendis Martyrum gestis plurimum laborasse fertur;[9])

f) Antonio Geronio Tarraconensi, in ambiguitatibus rerum ecclesiasticarum ad historiae veritatem spectantibus explicandis apprime versato;[10]) denique

g) Antonio Agellio Clerico Regulari,[11]) graecis facultatibus egregie exculto et Baronii studiosissimo.

---

[1]) a quo Index omnium scripturarum archivii sacrosanctae basilicae Principis Apostolorum a. D. 1599 confectus est. Cfr. B. *Dudík*, Iter Romanum. I. Wien 1855. p. 77. („Silv. Antonian. humili loco natus, sola virtutis ingeniique commendatione in eum honoris ac dignitatis locum pervenit, qui erat summo proximus. Pius IV. illi humaniores litteras in Archigymnasio Romano publice docendi munus attribuit. Hoc Pontifice vita functo cum sanctioris vitae studio incensus, totum se S. Philippo Nerio in disciplinam dedisset, a S. Pio V. sacri Cardinalium collegii a secretis munus ultro sibi delatum suscepit, quem locum quinque et viginti annos, summa integritatis prudentiaeque cum laude tenuit. Papiensem Cathedram a Gregorio XIV. sibi oblatam constantissime repudiavit. Clemens VIII. qui singularia hominis merita nosset, cubiculo Pontificio et sanctioribus brevibus eum praefecit, postremo S. R. E. Cardinalem renunciavit. Mortuus est anno aetatis suae sexagesimo tertio.“ *Raym. Alberic.* III, 20.)

[2]) *Binterim*, Denkwürdigkeiten der Kirche V. 1 (Mainz 1829) p. 29. *Beckmann*, Zur Geschichte des kopernikanischen Systems (Braunsberg 1861) p. 20. *Maedler*, Geschichte der Himmelskunde (Braunschweig 1873) I, 213 sq.

[3]) Cfr. A. v. *Reumont*, Geschichte der Stadt Rom. III. (Berl. 1870) p. 572 et *Nilles*, De rationibus fest. mobil. Viennae 1868. p. 146 sq.

[4]) Andreae *Schotti* Oratio in funere Antonii Augustini Archiepisc. Tarracon. (Dialog. ed. *Baluz.* p. 617.)

[5]) Cfr. quae praefatus est *Vossius* in edit. Operum S. Gregorii Thaumaturgi. Mogunt. 1604.

[6]) Eruditus vir Gerardus Vossius Belga, quocum magna mihi intercedit familiaritas, scripta sancti Ephrem summa cum diligentia perquisita et ex praecipuis Italiae bibliothecis collecta, Latinitati daturus est: reddetque nostris temporibus Syrum theologum Latine loquentem, cui Graece dicendi S. Basilius olim tribuisse facultatem traditur. (*Baron.* i. Not. a. Mart. 1. Febr.)

[7]) *Ant. Augustin.* de Emendatione Gratiani p. 238.

[8]) Vixit Philastrius (Brixiensis) sub Theodosio seniore interfuitque una cum sancto Ambrosio caeterisque sanctis episcopis Concilio Aquileiensi adversus Arianos, ut apparet ex actis eiusdem Concilii. Meminit eiusdem S. Augustinus libro de haeresib. ad Quodvultdeum, seque eum novisse testatur: obiit autem diem cum adhuc superstes esset sanctus Ambrosius, ut apparet ex sermone S. Gaudentii, eius successoris, habito in ordinatione sua. Unde constat vel mendosum esse codicem, vel ab

aliquo superadditum, quod habetur apud Philastr. de haeresib. cap. 112. a Christo Domino usque ad illud tempus cum ea scriberet, intercurrisse annos quadringentos triginta: cum liquido appareat S. Ambrosium, qui ei supervixit, longe ante ea tempora ex humanis desiisse, Caesario et Attico Conss. anno Domini trecentesimo nonagesimo septimo. Sed Latinius noster, qui in mendis illapsis cognoscendis lynceos habet oculos, sic iure putat locum esse restituendum, levissima facta mutatione, nimirum ut nota minori CCCCXXX. sic sit corrigenda CCCLXXX. (*Baron.* i. N. a. M. d. 18. Jul.) — Laudat hunc (S. Damianum Papiensem) mirifice Paulus Diaconus de gestis Longobard. libro 5. cap. 15., atque huius dicit esse epistolam scriptam nomine Mansueti episcopi Mediolanensis libro 6. cap. 3. Sed miror quidem: nam non Damianus, sed Magnus episcopus Ticinensis interfuit una cum Mansueto illi Romanae Synodo sub Agathone Romano Pontifice, ut apparet ex subscriptione Synodicae tunc scriptae, quae recitatur in actione quarta sextae Synodi. Opinatus est ea de causa Latinius noster, eundem Damianum cognomento Magnum esse dictum. (*Bar.* l. c. a. d. 12. April.)

[9]) *Curtio* debetur emendatio contextus Martyrologii v. gr. a. d. 9. Jul. („In civitate Thora apud lacum Velinum“ pro mendosa scriptura: „Tyri ad lacum Vulsinum“) ideo probabilis, quia Thoranae ecclesiae vetera monumenta firmaque traditio populi SS. Anatoliam et Audacem ibi passos esse absque aliqua ambiguitate testantur.

[10]) *Geronius* dubium solvit de ratione exortum, qua factum sit, ut cum tertio nonas Augusti nec inventio nec translatio aliqua S. Stephani contigerit, ista potius die quam caeteris memoria Inventionis ageretur. Existimavit enim longe ante inventionem S. Stephani, hanc ipsam diem in honorem eiusdem Protomartyris esse dicatam, postmodum autem redditam solemniorem ex commemoratione praedictae inventionis. Id inprimis maxime persuadent antiqua monumenta, ut vetus Martyrologium S. Cyriaci, in quo nulla habetur hac die de inventione mentio; sed tantum haec verba: Sancti Stephani Protomartyris in Ancona, ubi haberi dicitur unus de lapidibus quibus percussus est. Eadem Beda, licet apud eum mendose „Antiochia“ pro Ancona ponatur. Quibus si adduntur quae scribit S. Augustinus Serm. 31. et 32. de Diversis, ubi agit de perantiqua Memoria eiusdem Protomartyris Anconae posita, deque illo saxo quo idem in cubito percussus est, quod collegit qui lapidationi illius interfuit et in Italiam detulit et Anconae reliquit, ex quo tempore illic memoria S. Stephani esse coepit; haec igitur si antiquioribus Martyrologiis iunguntur, facile intelligitur, longe ante inventionem Protomartyris celebrari consuevisse hac die memoriam eius, vel saltem in Italiae regionibus. Celebris itaque olim fuit cultus memoriae eius martyrii ex illo lapide: postmodum autem, venerando corpore invento, aucta ea dies est celebriori solemnitate, quae iam semel lapidis eius memoriae dicata erat. (V. *Baron.* i. n. a. Mart. d. 3. Aug.)

[11]) Cfr. *Kaulen*, Gesch. der Vulgata p. 442 sq.

XIII.

Quo tempore Gregorius XIII. decemviris quos recensuimus negotium commisit non novum conscribendi Martyrologium, sed vetus ex veteribus exemplaribus restituendi, multa adhuc defuerunt praesidia nobis hodie pervia ad quaestionem Martyrologicam tenebris obscuratam qua par est ratione historico-critica illustrandam. Nondum enim Lucas Dacherius nec Franciscus Maria Florentinius nec Martenius Martyrologium vulgaverant vetustissimum S. Hieronymi nomine insignitum et a Vallarsio in Veronensem Hieronymianorum operum editionem illatum,[1] quod etsi haud germanus integerve S. Doctoris foetus sed cento potius ex priscis martyrologiis et calendariis confertus esse videtur, iure tamen magno in pretio habetur.[2] Insuper aetate proximum Hieronymiano Martyrologium Romanum Parvum, cuius de indole et auctoritate post Valesium, Sollerium aliosque nuper Joannes Baptista de Rossi[3] acute et sagaciter disputavit, anno demum 1613 ab Heriberto Rosweydo publici iuris factum fuit.[4] Necdum porro Bedae Martyrologium genuinum ut a Flori Lugdunensis additamentis distinctum exhiberent, Bollandiani operam contulerant.[5] Correctores igitur a Gregorio XIII. deputati quemadmodum ad duplicem Martyrologiorum Hieronymiani et Parvi Romani fontem non recurrerunt, ita Bedae apographis per Florum interpolatis usi sunt.

---

[1]) rep. in S. Eusebii *Hieronymi* Strid. Presb. Opp. ed. *Migne* (Par. 1846) Tom. XI. p. 435 sq.

[2]) Roma Sotterranea. Die römischen Katakomben etc. von Fr. X. *Kraus.* Freiburg i. Br. 1873. p. 18 sq. *Wattenbach*, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter. T. I. (Ed. 3. Berol. 1873) p. 51. De Martyrologio Syriaco ex Codice a. 411 edito per *Wrightium* (An ancient Syrian Martyrology. Journal of Sacred Literature Octobr. 1865) et ad deiiciendas tenebras quibus involvitur Hieronymianum Martyrologium utilissimo cfr. *Bickell*, Syrisches für deutsche Theologen. II. 14 (Literar. Handweiser. Münster 1869. p. 151) et C. de *Smedt*, Introd. Gen. p. 195.

[3]) *Rossi*, Roma Sotterranea (1864 sq.) II, XXVII sq. Cfr. C. de *Smedt* l. c. p. 130 sq.

[4]) *Vetus Romanum Martyrologium* hactenus a Card. Baronio desideratum et *Adonis* Vienn. Archiepisc. *Martyrologium* ad Mss. exemplaria recensitum opera et studio *Heriberti Rosweydi* Ultraiectini Societatis Jesu Theologi. Antverpiae ex officina Plantiniana, apud Viduam et filios

Joannis Moreti MDCXIII. Le P. Rosweydus crut que le Vetus Romanum Martyrologium, qu'il publiait, était le Martyrologe même, dont parle S. Grégoire-le-Grand dans sa lettre à Euloge d'Alexandrie. Henri de Valois, Fronton, Florentini et Beck attaquèrent cette opinion, et tous, sauf Florentini, ne gardèrent dans leurs attaques aucune mesure. Le P. *Du Sollier* traita la même question et prouva que ce Martyrologe n'était pas un abrégé d'Adon, mais qu'il lui avait servi de guide; et que de plus il avait été écrit à Rome vers l'an 740. V. Praefatio in Usuardum pp. XXXV et seq. Dominique *Giorgi* en a donné une nouvelle édition dans laquelle il n'a rien changé au texte du P. Rosweyde. Cependant il propose plusieurs corrections dans ses notes particulières. Elle porte le titre suivant: *Martyrologium Adonis* Archiepiscopi viennensis ab Heriberto Rosweydo Societatis Jesu Theologo iampridem ad Mss. exemplaria recensitum, nunc ope Codicum Bibliothecae Vaticanae recognitum et Adnotationibus illustratum opera et studio *Dominici Georgii* S. D. N. Benedicti XIV. P. M. ab intimo Sacello. Accessere Martyrologia et Kalendaria aliquot ex Vaticana et aliis Bibliothecis eruta, nunc primum in lucem edita. Romae ex typographia Palladis 1745 in fol. (*Backer*, Bibliothèque des Écrivains de la Compagnie de Jésus. Liège 1853 sq. I, 648 sq. s. v. Rosweyde.) Cfr. *Doellinger*, Die Papst-Fabeln des Mittelalters. München 1863. p. 118.

[5]) Ven. *Bedae* Opp. Omn. ed. *Migne*. Tom. V. Par. 1862. p. 797 sq. Beda der Ehrwürdige und seine Zeit. Von K. *Werner*. Wien 1875. p. 146. Kirchengeschichte Deutschlands von *Friedrich*. T. I. Bamb. 1867. p. 89.

XIV.

Dubitari non potest, quin quod in Litteris Apostolicis d. 14. Januarii 1584 datis Romanum Martyrologium memoratur nonnullis in locis librariorum typographorumque negligentia mendosum, id ipsum cum Martyrologio Usuardino congruat. Nam, ut Wandelbertum Prumiensem et Rabanum Maurum [1]) praetermittamus, Usuardi Sangermanensis, qui Adonis Viennensis Collectionem Vitarum Sanctorum [2]) contraxit, Martyrologium Carolo Calvo dicatum merito asserit Lambertinius [3]) inde a saeculo nono haud solum in monasteriis Benedictinorum recitatum, sed eius lectionem ad omnes fere ecclesias occidentales esse propagatam atque etiam ad ecclesias Urbis, excepta tamen Basilica Principis Apostolorum in Vaticano, quae suo quodam utebatur Martyrologio; ita ut exeunte saeculo XV. passim in ecclesiis non aliud Martyrologium legeretur quam Usuardi. Neque autem Martyrologii basilicae Vaticanae a Martyrologiis caeterarum Urbis ecclesiarum diversitas obstat, quominus istud quoque etsi in temporum decursu immutatum cum eodem saeculi noni fonte multis de causis

venerando censeamus esse connectendum. Ex quo enim Martyrologium Usuardinum a diversis ecclesiis adoptatum magis magisque in usum transiit universalem, tum in singulos singularum ecclesiarum codices per medium aevum magna lectionum varietas incuria aut inscitia librariorum irrepsit, tum in hisce variis Martyrologii exemplaribus quoad textum plus minusve depravatis Sanctorum numerus paulatim ideo accrevit, quia martyres et confessores, quorum annua celebritate natalitia agebantur in particularibus ecclesiis, superadditi fuerunt.

---

[1]) Cfr. K. *Werner,* Alcuin u. s. Jahrhundert. Paderborn 1876. p. 370.

[2]) Opus Adonianum ab Aloysio *Lipomano* (De Vitis Sanctorum tom. IV. pag. 150 sq. ed. Venet. a. 1554) primum ac deinde a Jacobo *Mosandro* in appendice ad Surium editum est.

[3]) De Serv. Dei Beatif. Lib. IV. P. II. C. XVII. n. 2.

XV.

Pluries jam ante annum 1580 Martyrologium Usuardinum exstitit typis excusum. Quae post editiones Lubecanam (1475), Ultraiectensem (1480), Coloniensem ac Parisiensem (1490) prodiit sub titulo „Martyrologii secundum morem Romanae Curiae“ Venetiis a. 1498 editio, eam Bellinus ex familia Fratrum Eremitarum S. Augustini adornavit correctionibus et additionibus illustratam. Pariter in eadem urbe a. 1560 lucem vidit quod erroribus scatet „Martyrologium secundum morem sacrosanctae Romanae et universalis ecclesiae. Scriptum et emendatum per Alexandrum de Peregrinis presbyterum Brixiensem.“ Auctor ipse in praefatione testatur se compilationem Usuardinam saltem pro maiori parte eligendam et prae aliis tenendam duxisse.[1]) Consimile deinceps anno 1564 Maurolycus Abbas Messanensis[2]) vulgavit Martyrologium, quo Usuardus deturpatus esse putatur.[3]) Summam vero laudem consecuta est recensio, quam anno 1568 foras dedit Joannes Molanus Theologus Lovaniensis,[4]) in praeceptis critices versatus et Usuardum ad suum verum statum reducere conatus. Decennio tandem post emissum fuit „Martyrologium Sanctae Romanae Ecclesiae usui in singulos anni dies accommodatum, ad Sanctissimum Patrem Gregorium XIII. Pont. O. M. Petro Galesinio Protonotario Apostolico auctore,“[5]) quod

tamen opus romani censores minime accuratum, imo valde negligenter conscriptum nimiaque sua prolixitate prorsus ineptum iudicaverunt. [6])

---

[1]) Notandum, quod licet multi dederint operam ad compilandum Martyrologium, tamen tres fuerunt qui praecipue opus huiusmodi tradiderunt. Primus fuit Hieronymus . . Secundus fuit Beda . . Tertius fuit Usuardus monachus, cuius opus magis habetur in usu apud multas Ecclesias: quae etiam creduntur aliqua eius operi in locis variis addidisse: praecipue de sanctis et festis pertinentibus ad easdem. Et huius est Martyrologium scriptum, quod nos pro maiori parte duximus eligendum et prae aliis tenendum. (*Alex. de Peregrinis*, Praef. in Martyrol.)

[2]) G. M. *Koenig,* Bibliotheca Vetus et Nova (Altdorfi 1678) p. 521. *Maedler,* Geschichte der Himmelskunde II. 325 sq.

[3]) Cfr. *Lambertin.* De Serv. Dei Beatif. IV. 2. 17 n. 4.

[4]) *Usuardi* Martyrologium. Lovanii, 1568.

[5]) Mediolani apud Pacificum Pontium 1578. Servatur in Bibliotheca *Vallicellana* (Q. 55) exemplar *Galesiniani* Martyrologii cum emendationibus marginalibus *Baronii;* titulo autem praefixa est quae sequitur notula: „Hic liber ex Bibliotheca Christinae Alexandrae Reginae Suecorum transiit in illam Petri Card. Otthoboni S. R. E. Vicecancellarii, ex eaque post illius obitum emptus fuit pro Bibliotheca Vallicellana, ne hoc praeclaro monumento Venerabilis Servi Dei Card. Caes. Baronii ipsius Congregatio careret. Multa enim in hoc Volumine propria Baronii manu sunt adnotata.“

[6]) *Hurter* Nomencl. lit. I, 205. Caeterum *Baronius* in fine Cod. Vall. Q. 55 *Galesinium* „doctum ac disertum, nobilissimi ingenii hac aetate scriptorem“ nuncupat; quod quidem elogium ad biblicas et patristicas Galesinii lucubrationes respicit.

XVI.

Dolendum sane est, quod viri eruditi a Gregorio XIII. Martyrologii emendationi admodum necessariae praepositi subsidiis quae supra (XIII) innuimus ista aetate nondum inventis et discussis inniti et ideo opus omnibus numeris absolutum conficere nequierunt.[1]) At quo maiores difficultates ab ipsis in subigendo solo parum perperamve culto et in eradicandis zizaniis erant superandae, eo aequiorem postulant sententiam quae in adimplendis sui muneris partibus revera praestiterunt. Neque enim pervigili diligentiae et summae industriae pepercerunt, ut antiqua quae in Archivis et Bibliothecis delitescebant Martyrologia manuscripta indagarent et facta multiplicium exemplarium

collatione menda emacularent, veritati historicae non minus quam legibus critices sedulo satisfacturi. Caetera autem quae repererant Martyrologia quum vetustate antecederet Martyrologium monasterii S. Cyriaci in Thermis visum Martyrologio de quo S. Gregorius M. loquitur[2]) quoad indolem haud absimile,[3]) eo insigniter unacum Bedae seu potius Flori et Adonis Martyrologiis usi sunt in restituendo contextu et in corrigendis erroribus Martyrologii Usuardini varie depravati, cuius inter editores plus, uti fas erat, Bellino et Molano, quam Alexandro de Peregrinis, Maurolyco et Galesinio detulerunt. Quoniam vero mens fuit Summi Pontificis, ut universale quod omnes ecclesiae reciperent Martyrologium promulgaretur quantum fieri poterat emendatum simul et auctum, Correctores multa textui emendato addiderunt nomina Sanctorum desumpta partim ex pervetusto Menologio Graeco a Guilelmo Card. Sirleto latinitati donato, partim ex variis SS. Patrum operibus et inprimis ex S. Gregorii Papae Dialogorum libris, quos Ecclesia occidentalis et orientalis numquam non summa fide immensisque laudibus est prosecuta, partim denique ex aliquot Italiae praesertim ecclesiarum tabulis ac monumentis.

---

[1]) Ramener le Martyrologe à la vérité de l'histoire, avec l'aide des manuscrits les plus anciens et les plus corrects, était chose à peu près impossible à cette époque, où l'on commençait à défricher le champ de l'hagiographie. (*Matagne* l. c. p. 142.)

[2]) in celebri epistola ad *Eulogium* Alexandrinum. *S. Gregorii M.* Epist. Lib. VIII. Ind. I. Ep. 29. Opp. ed. *Migne.* Par. 1849. Tom. III. p. 930 sq. („Nos pene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut praedixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed haec habere vos beatissimos credimus"). Cfr. *Krüll,* Christl. Alterthumskunde. T. I. (Regensb. 1856) p. 427 sq.

[3]) Restituuntur iidem (ss. martyres Paulus, Lucius et Cyriacus) ex vet. manuscr. Martyrologio monasterii S. Cyriaci. Ubi cum nec tempus, quo passi sunt hi vel alii qui ibidem habentur martyres, exprimatur; quis mirari non debet; nam S. Gregorius Papa ad Eulogium scribens, dum de Romano Martyrologio quod usui erat, meminit; ait nomina, loca et diem passionis in eo posita haberi, de tempore autem nihil testatur. (*Baron.* Not. a. M. Febr. 8.)

XVII.

Me nescire fateor nec ullum omnino arbitror exstare documentum, ex quo erui possit, quando studia et labores Reformatorum Martyrologii ad eum pervenerint finem, ut liber ab ipsis redactus, praevia approbatione Pontificia, formis excudi inciperetur. Nam inde quod Baronius in epistola die 10. Januarii 1582 data et a nobis supra (X) allegata Sirleti effatum: „Si cominciarebbe a stampare il mese di Febraro o al più al mese di Marzo, che già le fatighe sono a bon termine" refert, coniicere, non autem concludere licet, impressionem Martyrologii reformati de qua cogitabatur istis mensibus revera exorsam esse. Nullibi vero quid eodem anno 1582 litteris mandatum a Baronio vidimus quod ad materiam nostram pertineat, imo altum ab eo servatum per tria fere semestria deprehendimus silentium, donec tandem in epistola die 28. Junii 1583 patri inscripta brevis haec nobis occurrit notitia: „Mando insieme il Martirologio." [1]) Atqui momentum obstat chronologicum, quominus Martyrologium Soram directum opinemur fuisse id ipsum quod Gregorius XIII. sua auctoritate sancitum sex demum mensibus post curavit edendum. Nec evanescunt sed adaugescunt dubia, quum in Baronii Tractatione, ad quam postea revertimur, de Martyrologii origine et usu in Ecclesia Catholica [2]) cap. VIII. obviam nobis fiat aenigma sic conceptum: „Illud necessario lectorem monendum putamus, Romani Martyrologii triplicem hactenus in Urbe esse factam editionem, eiusque primam et secundam esse mendosam, nec satis dignam, quae iterum praelo tradatur: quod cuius culpa acciderit, libentius silentio praeterimus. Tertia editio purior est atque sincerior, facta anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo quarto: illi enim tantum, ut legitimae atque germanae, accesserunt litterae Apostolicae, datae die decimaquarta Januarii, eodem anno."

---

[1]) *Cod. Vallicellan.* Q. 46. f. 50.

[2]) *C. Vall.* Q. 30.

XVIII.

Abstinendum mihi est a quovis iudicio de utraque editione non legitima, cui Baronius alludit et cuius vestigia dumtaxat animadverti, quin tamen exemplaria authentica inspicere et conferre potuerim. Teste Matagnio [1]) editio utraque sub titulo: „Martyrologium Romanum ad novam Kalendarii rationem et Ecclesiasticae historiae veritatem restitutum Gregorii XIII. Pont. Max. iussu editum“ absque ulla approbatione prodiit a. 1583 ex officina Dominici Basae; cuius quidem typographi nomen attingenti in mentem mihi venit quoddam analogon, nimis scilicet praecox ac mendosa per typos exscriptio primi Annalium voluminis et quae huc spectat Baronii nota epistolaris: „Il Card. Carafa è in gran colera con il Basa, et con gli Correttori per la multiplicità delli errati.“ [2]) Culpa igitur Basae et eorum quibus negotium lapsus operarum tollendi iniunctum erat, accidisse suspicor, ut primae et secundae Martyrologii editioni plurima insederint menda. Cur autem Baronius ipse fuerit praepeditus, quominus delendis singularum plagularum erroribus invigilaret, supra (X) innuimus. Neque alius quis ex numero deputatorum a Gregorio XIII. Martyrologii reformatorum accurasse videtur utramque istam editionem, a qua forsan non alienus est censendus Fabius Albergatus, cuius mentionem iniicit Joannes Palatius, ubi de Martyrologio loquitur expurgato. [3]) Verum non iuvat in amplum deflectere hypotheseon campum. Quapropter adhuc tantum observasse sufficit, quod si secunda editio exeunte Maio 1583 emissa recte perhibetur, [4]) huius exemplar mense Junio eiusdem anni a Baronio Soram transmissum vix ambigi queat, [5]) necnon quod prima editio [6]) primis fere anni 1583 mensibus sub praelo fuerit, quum Baronius itineris causa Neapolim instituti ex Urbe abesset. Constat utique universa paene exemplaria tam unius quam alterius editionis illico suppressa et utrique illegitimae tertiam esse substitutam editionem unice germanam, quae mense Januario a. 1584 a Gregorio XIII. Litteris Apostolicis confirmata et promulgata est.

---

[1]) in diss. cit. ap. C. de *Smedt*, Introd. Gen. p. 144.

[2]) Antonio *Talpae*. Di Roma 26. Giugno 1588.

[3]) *Matagne* l. c. p. 147.

[4]) *Politi* donne les variantes des deux éditions pour le Mois de Janvier, et nous apprend que la seconde fut achevée le 27 Mai 1583 (*Matagne* p. 144.)

[5]) Num secunda haec an potius tertia editio Romana Martyrologii *Basiliensis* „iuxta Romanum" Friburgi Brisgoviae a. 1584 excusi et ab Aloysio *Lütolf* (Die Glaubensboten der Schweiz vor St. Gallus. Forschungen und Quellen zur Kirchengeschichte der Schw. Lucern 1871 p. 8) citati fundamentum sit, haud liquet.

[6]) Ex prima Gregoriana editionem Martyrologii *Lugdunensem* a. 1583 expressam esse opinatur *Gravius* (Ep. ad Baron. Lovan. 16. Kalend. Jun. a. 1588. *Alberic.* III. 157).

XIX.

„Nullum," inquit Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus, [1]) „dubium est quin Martyrologia saepenumero variata fuerint, cum illud quod a Gregorio XIII. approbatum litterisque eius Apostolicis obvallatum est, occasione postea notationum Baronii (qui suggesserat nonnullos se in eo errores reperisse), aliqua ex parte commutatum, non variatis modo quibusdam, sed nonnullis etiam adiectis atque detractis, ut utramque editionem antiquam et novam conferenti, Gregorianam scilicet cum Sixtina, liquido constabit. Quamquam haec posterior non appelletur Sixtina, licet sub Sixto V. facta; visum est enim, quod non tanta esset facta mutatio, relinqui bullam et nomen Gregorii XIII. Jam autem usus fere obtinuit, ut postrema illa editio sub Sixto V. facta et Baronii notationibus illustrata Baronii Martyrologium vocitetur." De hac itaque Sixtina Martyrologii Gregoriani recognitione seu de Martyrologio Baronii nunc acturus, a re non esse alienum puto prolusionis instar ex litteris Baronii [2]) verba ad genesin operis attinentia in medium afferre haec: „Il Cardinal Sirleto mi ha pregato, ch'io facci una scholia sopra il Martirologio Romano, nella quale si darra conto, cosa per cosa, e si risolveranno molte ambiguità. Sarra opera che avanzarà di tre tanto il volume del Martirologio, e già è in bon porto e sarra in ordine a darsi in stampa a questo anno che viene, qual opera è d'importanza e si leggera per tutta la Christianità, e se stamperà sotto il mio nome, quale ho speranza che vederete e goderete."

[1]) in suis disceptationibus literalibus, topographicis et chronologicis in Martyrologium Romanum (Beneventi 1716) in monitione ad lectorem.

Praemisit auctor synopsin eorum quae in Martyrologio aliter se habent ac in Breviario, notas plurimum desumpsit ex Continuatoribus Bollandianis, adiecit in calce Martyrologia Ordinum SS. Benedicti, Dominici, Francisci, Augustini et Carmeli.

[3]) Di Roma li 28 di Giugno 1583. *Mantissa* VI., II. 8. p. 357.

XX.

Igitur sex iam mensibus antequam Martyrologium authenticum a decemviris redactum in usum transiit ecclesiasticum, Guilielmus Cardinalis Sirletus Caesarem Baronium incitavit ad commentandum textum correctum et ad exarandas annotationes, quibus ratio singularum rerum in Martyrologio contentarum redderetur ac quaestiones in congregationibus super reformatione Martyrologii habitis excitatae et difficultates multis obscuritatibus involutae explicarentur. Nec minus vehementer eiusmodi lucubrationem Cardinales Felix Perettus et Antonius Caraffa commendarunt et ad opus suscipiendum perficiendumque hortati sunt. Unde Baronius non dubitavit parandis et scribendis quae desiderabantur scholiis manum admoliri. Ante omnia autem necessarium duxit, cum Martyrologio restituto seu Gregoriano Martyrologia Bedae,[1]) Adonis et Usuardi, Basilicae Vaticanae,[2]) Vetus Romanum S. Cyriaci in Thermis, Menologium Graecum,[3]) editiones Maurolyci, Galesinii all., additiones Molani ad Usuardum, necnon antiquum Martyrologium Casinense et Kalendarium ecclesiae Ambianensis ac S. Gregorii Dialogos a Melchioris Cani censura vindicatos[4]) accurate et plerumque denuo conferre; qua quidem ex collatione iterata nonnullae cum consensu atque auctoritate Summi Pontificis accesserunt Martyrologio d. 14. Jan. 1584 promulgato emendationes. Verum ut quid praestare Baronius in suis Notationibus adornandis studuerit, qua par est ratione queat diiudicari, congruum mihi esse videtur etiam reliquum apparatum, quem diuturno labore conquisitum et excussum adhibuit, perstringere et in brevi conspectu ponere.

---

[1]) De Martyrologio *Bedae* versibus hexametris composito et per *Dacherium* integre vulgato (Bedae Opp. ed. *Migne* V. 603 sq.), cuius fragmentum *Baronius* citat, ubi in ann. ad Cal. Septbr. de S. Regulo loquitur, haud ignorans *Ephemerides Bedae* alterius auctoris esse, a *Molano* scilicet in prima Usuardi editione *Wandelberto*

Prumiensi tanquam vero auctori restitutas, cfr. K. *Werner,* Beda der Ehrw. p. 146.

[2]) Cfr. *Dudík*, Iter Romanum I. 78 sq.

[3]) Veluti ingentem thesaurum Baronius id liberalitate *Sirleti* possidebat et tanto amplectebatur ac servabat gaudio, ut Croesi opes habere se crederet.

[4]) Non ab instituto alienum existimo, si cum saepe in Romano Martyrologio *libri dialogorum S. Gregorii* Papae adducantur in testimonium, eosdem (tanti Patris reverentia ductus) a calumniis vendicem, non dico haereticorum, sed Catholici hominis *Melchioris Cani* episc. Canar. dum in suorum quos scripsit locorum Theologicorum commentario lib. XI. cap. 6. adversus praedictos dialogorum libros inconstanter ac inconsulte nimis loqui videatur; et quos iam mille fere annis, tam Occidentalis quam Orientalis Ecclesia summa fide, digna veneratione immensisque est laudibus prosecuta, audeat novus assertor in controversiam revocare ac fide minuere. At ne nos calumnia agere quis existimet, reddimus eius verba, praetereundo nonnulla, quae eodem capitulo ab ipso dicta, castigatione sunt digna; sic se habent, dum sanctos ac eruditos viros hallucinatos esse aliquando conatus est demonstrare: Quae (inquit) ego eadem de Beda atque Gregorio iure fortasse ac vere dicere possum: quorum ille in historia Anglorum, hic in dialogis quaedam miracula scribunt vulgo iactata et credita: quae huius praesertim seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum auctores, iuxta praefinitam normam, severitati iudicii curam in eligendo maiorem adiunxissent. Sed quoniam modeste et circumspecto iudicio de tantis viris pronunciandum est, ne in his quidem duobus reiicienda sunt plurima: pauca enim in eis possis arguere, quamvis historiam ecclesiasticam revocare ad severiora iudicia contendas. Haec ille . . Appello te virum eruditum, qui feriendo demulces et demulcendo feris (ut interim de Beda taceamus), cur non signas in Gregorii dialogis, illa quae scribis miracula vulgo iactata et credita; ne dum pauca quae tuo iudicio sunt arguenda, non arguens vel reiiciens, integrum opus fide minuas et in suspicionem adducas? Qui sint Aristarchi qui ea incerta existiment, licet te ab illis subtrahere videaris, cum tamen eadem vulgo iactata ac credita dicas, re ipsa te inter illos adnumeras. Sed ante omnia te ipsum ad tuam revoco scriptionem, dum praeceptoris tui iudicium de te editum sic describis in duodecimi libri tui praefatione: Fratrem (inquis) Franciscum Victoria, lector optime, eum quem summum Theologiae praeceptorem Hispania Dei singulari munere accepit solitum dicere audivi, postquam ab illius schola discessi, se ingenio meo quidem egregie delectari: sed id vereri, ne huius excellentia quadam elatus et exultans, immoderate iactarer; et grandior effectus, non laete modo et libere ingrederer, sed temere etiam ac licenter praeceptoris vestigia conculcarem. Haec tu ipse. At utinam unius tantum praeceptoris, et non maiorum omnium de dialogis Gregorii iudicium contempsisses, neque tot adstipulatoribus tuam praetulisses sententiam. Provoco te ad Patres tuos sanctissimos ac eruditissimos viros Hispaniarum doctores, Isidorum, S. Ildefonsum eiusque successorem post Quiricum, S. Julianum, qui libros prognosticôn scripsit. Quantum Isidorus Gregorii scripta omnia plurimi fecerit, ipsum consule lib. de vir. illustr. c. 40. ubi post immensa praeconia, haec tandem in fine: Felix (inquit) et

nimium felix, qui omnium studiorum eius potuit cognoscere dicta. Ildefonsus et ipse de vir. illustr. cap. 2.: Tanto (inquit) per gratiam Spiritus Sancti scientiae lumine praeditus, ut non modo illi praesentium temporum quispiam, sed ne in praeteritis quidem par fuerit unquam. Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, ut exclusis omnium illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstraret antiquitas. Vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum etc. Certe Julianus in his quae disserit in libris prognosticôn, e dialogorum S. Gregorii libris testimonium petit. Itemque sanctorum Patrum conventus ex iisdem dialogis mutuati sunt auctoritatem, ex iisdemque citatas historias descripsere, ut in Concilio Triburiensi cap. 17. ubi recitatur mirandum illud prodigium de Valentino ecclesiae Defensore, de quo S. Gregorius agit lib. 4. dialog. c. 53. quod prae caeteris forte Aristarchi tui commentum esse censebunt. Hadrianus Papa in epistola quam scripsit ad Carolum Magnum, non semel eosdem S. Gregorii citat dialogos. Iisdem dialogis ut validissimis armis usus est etiam Jonas Aurelianensis ad confutanda portentosa monstra Claudii Taurinensis. Quanti illos fecerit Zacharias Papa, haec habes a Joanne Diacono lib. 4. c. 75. Hos libros (inquit) Zacharias, sanctae Ecclesiae Romanae episcopus, Graeco Latinoque sermone doctissimus, temporibus Constantini Imp. post annos fere centum septuagintaquinque in Graecam linguam convertens, Orientalibus ecclesiis divulgavit. Haec Joannes. Quanti autem eos Graeci aestimarint, ex his potes intelligere, dum Gregorium citantes, Dialogum appellant. Quid ad haec, vir optime, numquid his omnibus caecutientibus, tu solus vides? ac caeteris dormitantibus, tu solus vigilas? sed ad quam lucernam? tu ipse prodis; dum eodem capitulo haec de Ludovico Vives: Justissima est (inquis) Ludovici querela de historiis quibusdam in Ecclesia confectis etc. Haec tu de illo, cuius scriptiones quali indiguerint scopa, notum est omnibus. Sed quid in his immoror? Quid de dialogis S. Gregorii sit sentiendum, cum tecum ago, non alterius quam tui ipsius appello iudicium. In memoriam, quaeso, revoca, quid de his nuper senseris, quid ipse nuper scripseris: teipsum enim ad tua scripta iterum provoco. Haec enim ante quatuor paginas eodem capitulo, quo de recta scribendae historiae ratione disputas, posita habes: Prima lex (inquis) ex hominum probitate integritateque sumetur. Quae omnino res locum habet, cum quae narrant historici, ea vel ipsi se vidisse testantur, vel ab his qui viderunt, accepisse. Qualia sunt pleraque in epistolis Ambrosii, Cypriani, Hieronymi, Augustini, in libris quoque de Civitate Dei, in dialogis S. Gregorii, breviter in omnibus fere Doctorum ecclesiae probatissimorum scriptis: in quibus mendacium suspicari, quod ad memoriam sempiternam transferre illi scribendo voluerint, piaculum est. Magnis quippe praeclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus huiusmodi, quas vel spectasse se, vel ab aliis fide dignis qui spectaverint, se audivisse testati sunt, fides omnino illis adhibeatur. Haec tu quidem, cum statim in Erasmum et in alios recentiores inveheris, qui stulte nimis a praedictis desciverunt. His certe nihil gravius, nihil eruditius, nihil denique Catholico homine dignius dici potuit. Sed quae tanta in re tanta, tantula temporis mora, in tanto homine inconstantia? quid dicam amplius non habeo; nisi quod illa priora divino afflatus spiritu, veritate suadente, scripsisti, posteriora autem ipse tuo sensu conatus es, quo qui ducitur,

mendax est, veritate attestante: Omnis homo mendax, Deus autem verax est. Ut autem ad dictos dialogorum libros revertar, scripsit eos S. Gregorius anno quarto sui Pontificatus, ut colligi potest ex lib. 4. c. 36, cum pestilentiam quae primo anno suae sedis Romam afflixit, ante triennium esse grassatam affirmat. Quanta autem adhibita diligentia quantoque studio veritatis opus elaborarit, cum quae viderit vel a certis probatissimisque viris acceperit, scriptis mandavit; tam ex iisdem libris, quam etiam ex epist. 50. lib. 2. registr. ad Maximianum episcopum Syracusanum scripta, facile potest intelligi. (*Baron.* i. Annot. a. Mart. d. 23. Decembr.) Cfr. M. *Cani* Opera ed. Hyacinth. *Serry.* Patav. 1762. Praef. p. XIII sq. necnon Vindiciae Dialogorum et Praefatio in Libr. Dial. (S. *Gregorii* M. Opp. ed. *Migne.* Tom. III. Par. 1849. p. 129 sq.). Procul dubio Baronii in Canum Censura nimis acris et minus aequa est iudicanda; nam nec in S. Gregorium, qui asceticum Historicum egit, iniurius videtur nec secum ipse pugnat Episcopus Canariensis, qui fidem Gregorio minime negavit omnem, etsi emunctiorem in eo desideravit narem et pauculas Dialogorum fabulas reiecit ex alienorum fide et narratione recitatas.

XXI.

Tabulas consuluit et perscrutatus est monumenta ecclesiarum Altinensis (S. Theonesti Episcopi et Martyris. Octobr. 30.), Amalphitanae (Translat. S. Andreae Apostoli. Maii 9.), Ambianensis (S. Firmini Abbatis. Mart. 11.; S. Honorati Episcopi. Maii 16.), Amerinae (S. Secundi Mart. Jun. 1.; S. Firminae Virginis et Mart. Novembr. 24.), Anagninae (S. Petri Episc. August. 3.; S. Magni Episc. et Mart. August. 19.), Antisiodorensis (S. Censurii Episc. Jun. 10.; S. Theodosii Episc. Jul. 17.), Aquilanae (S. Rainerii Episc. Decemb. 30.), Aquileiensis (S. Eleutherii Episc. Mart. April. 18.; SS. Martyrum Carpophori et Soc. August. 7.; SS. Virginum et Mart. Euphemiae et Soc. Septembr. 3.), Aquinatis[1]) (S. Clinii Confessoris. Mart. 30.; S. Fulci Conf. Maii 22.; S. Grimoaldi Presbyteri et Conf. Septemb. 29.), Arelatensis (S. Augustalis Episc. et Conf. Septemb. 7.), Argentoratensis (S. Arbogasti Episc. Jul. 21.; S. Aureliae Virginis. Octobr. 15.; S. Florentii Episc. Novemb. 7.), Arvernensis (S. Boniti Episc. et Conf. Januar. 15.; S. Patricii Episc. Mart. 16.; S. Galli Episc. Jul. 1.), Asturicensis (S. Marthae Virginis et Mart. Februar. 23.), Augustodunensis (S. Flaviani Episc. August. 23.; S. Joannis Episc. Conf. Octobr. 29.), Aurelianensis (S. Flosculi Episc. Februar. 2.; S. Verani Episc. Octob. 19.), Auximanae (S. Benvenuti Episc. Mart. 22.), Bergomensis (S. Gratae Virginis. Maii 1.; S. Domnionis

Mart. Jul. 16.; S. Asteriae Virg. et Mart. August. 10.; S. Eusebiae Virg. et Mart. Octobr. 29.; S. Viatoris Episc. et Conf. Decemb. 14.), Bituricensis (S. Sulpicii Episcopi cognomento Pii. Januar. 17.), Bononiensis[2]) (SS. Hermetis, Aggaei et Caii Mart. Januar. 4.; S. Zamae primi Bon. Episc. Januar. 24.; S. Julianae Viduae. Februar. 7.; S. Theodori Episc. Maii 5.; S. Proculi Episc. et Mart. Jun. 1.; S. Felicis Episc. Decemb. 4.), Brixianae (S. Paterii Episc. Febr. 21.; S. Felicis Episc. Febr. 23.; S. Silvini Episc. Septemb. 28.), Brundusinae (S. Pelini Episc. Mart. Decembr. 5.), Bruxellensis (S. Vivinae Virg. Decemb. 17.), Burdigalensis (S. Amandi Episc. Conf. Jun. 18.), Caesaraugustanae (S. Braulii Episc. Conf. Mart. 26.), Cameracensis (S. Gaugerici Episc. Conf. August. 11.), Camerinensis (S. Ansovini Episc. Conf. Mart. 13.), Capuanae (S. Bernardi Episc. Conf. Mart. 12.; S. Rufini Episc. Conf. August. 26.), Catanensis (SS. Stephani et Soc. Martyr. Decemb. 31.), Caturcensis (S. Ambrosii Episc. Octobr. 16.), Coloniensis (S. Paulini Mart. Maii 4.; S. Maurini Abbatis et Mart. Jun. 10.; S. Evergisti Episc. et Mart. Octobr. 24.), Comensis (S. Liberatae Virg. Januar. 18.), Compostellanae (S. Petri Episc. Septemb. 10.), Constantiensis (S. Conradi Episc. Novemb. 26.), Firmanae (S. Alexandri Episc. et Mart. Januar. 11.; S. Vissiae Virginis et Mart. April. 12.; S. Sophiae Virg. et Mart. April. 30.; S. Philippi Episc. et Mart. Octobr. 2[illegible].), Florentinae (S. Eugenii Conf. Novemb. 17.), Fundanae (S. Paterni Mart. August. 21.), Gandensis (S. Livini Episc. et Mart. Novembr. 12.), Ilerdensis (S. Licerii Episc. August. 27.), Interamnensis (S. Anastasii Episc. et Conf. August. 17.), Lateranensis (S. Venantii Episc. et Mart. April. 1.), Lingoniensis (S. Gregorii Episc. Januar. 4.), Lugdunensis (S. Stephani Episc. et Conf. Februar. 13.; S. Albini Episc. Septemb. 15.), Magdeburgensis (S. Norberti fundatoris ord. Praemonstr. Jun. 6.), Mantuanae (S. Anselmi Episc. et Conf. Mart. 18.), S. Mariae Maioris (S. Epaphrae Episc. et Mart. Jul. 19.), S. Mariae de Anima Nationis Teutonicorum[3]) (S. Bennonis Episc. Jun. 16.), S. Mariae in Via lata (SS. Martyrum Cyri et Joannis. Januar. 31.), Mediolanensis[4]) (S. Martiniani Episc. Januar. 2.; S. Aquilini Presb. Mart. Jan. 29.; S. Savinae fem. rel. Jan. 30.; S. Honorati Episc. Conf. Februar. 8.; S. Lazari Episc. Februar. 11.; S. Mansueti Episc. Conf. Febr. 19.; S. Fausti Mart. August. 7.; S. Matroniani Erem. Decemb. 14.), Meldensis (S. Faronis Episc. et Conf. Octobr. 28.), Metensis (S. Patientis Episc. Januar. 8.; S. Felicis Episc. Februar. 21.; S. Clodulphi Episc. Jun. 8.; S. Firmini Episc. et Conf. August. 18.), Mogun-

tinae (S. Crescentis discipuli B. Pauli Apost. Jun. 27.), Neapolitanae (S. Pomponii Episc. Maii 14.; S. Euphebii Episc. Maii 23.; S. Aspren Episc. August. 3.; S. Agnelli Abbat. Decemb. 14.), Nicensis (S. Bassi Episc. Mart. Decemb. 5.), Novariensis (SS. Laurentii et Soc. Mart. April. 30.; S. Agapii Episc. Septemb. 10.), Oscensis (SS. Martyrum Orentii et Patientiae. Maii 1.), Oxoniensis (S. Fredeswindae Virg. Octob. 19.), Papiensis (S. Maximi Episc. et Conf. Januar. 8.; S. Damiani Episc. April. 12.; S. Felicis Episc. Mart. Jul. 15.; S. Pompeii Episc. Decemb. 14.), Parmensis (S. Bernardi Card. Episc. Decemb. 4.), Patavinae (S. Danielis Martyris. Januar. 3.; S. Maximi Episc. August. 2.; S. Justinae Virg. et Mart. Octob. 7.), Pictaviensis (S. Victorini Episc. Mart. Novemb. 2.), Pisanae (S. Torpetis Mart. Maii 17.), Placentinae (S. Sabini Episc. Decemb. 11.), Potentianae (S. Gerardi Episc. Octob. 30.), Ravennatis (S. Joannis Episc. et Conf. Januar. 12.; S. Caloceri Episc. Febr. 11.; S. Maximiani Episc. Februar. 21.), Rhemensis (SS. Martyrum Mauri et Soc. August. 22.; S. Helani Presb. Octobr. 7.), Rothomagensis (S. Hugonis Episc. et Conf. April. 9.), Saguntinae (S. Sacerdotis Episc. Maii 5.), Salernitanae (SS. Martyrum Fortunati et Soc. August. 28.; S. Eusterii Episc. Octob. 19.), Senonensis[5]) (S. Heraclii Episc. Jun. 8.; S. Ursicini Episc. et Conf. Jul. 24.; S. Lupi Episc. et Conf. Septemb. 1.; S. Amati Episc. et Conf. Septb. 13.), S. Silvestri apud Campum Martium (S. Silvestri Papae. Decemb. 31.), Suessionensis (S. Xysti. Septemb. 1.), Sulcitanae (S. Antiochi Mart. Decemb. 13.), Surrentinae (S. Antonini Abbat. Februar. 14.), Tarraconensis (S. Magini Mart. August. 25.), Theanensis (S. Urbani Episc. et Conf. Decemb. 7.), Tiburtinae (S. Generosi Mart. Jul. 17.; S. Severini Monach. Novemb. 1.), Ticinensis (S. Epiphanii Episc. Januar. 21.; S. Armentarii Episc. Jan. 30.; S. Petri Episc. Maii 7.; S. Ennodii Episc. Jul. 17.; S. Syri Episc. Decemb. 9.), Tifernatis (S. Amantii Presb. Septb. 26.), Toletanae (SS. Martyrum Fabriciani et Philiberti. August. 22.), Tornacensis (S. Quinctini. Octob. 1.), Traiectensis (S. Friderici Episc. et Mart. Jul. 18.), Trecensis (S. Fidoli Conf. Maii 16.), Trevirensis (S. Agritii Episc. Januar. 13.; S. Valerii disc. S. Petri Apost. Januar. 29.; S. Severae Virg. Jul. 20.; SS. Martyrum Palmatii et Soc. Octob. 5.), Tudertinae (S. Benigni Mart. Febr. 13.;[6]) S. Romanae Virg. Febr. 23.; SS. Martyrum Felicissimi et Soc. Maii 26.; S. Faustini Conf. Jul. 29.; S. Dignae Virg. Aug. 11.), Tullensis (S. Apri Episc. Septb. 15.), Tungrensis (S. Servatii Episc. Maii 13.), Urbevetanae

(S. Severi Presb. et Conf. Octob. 1.), Urgellensis (S. Hermengaudii Episc. Novemb. 3.), Vercellensis (S. Eusebii Episc. Mart. August. 1.; [7]) S. Aemiliani Episc. Septemb. 11.), Veronensis [8]) (S. Probi Episc. Januar. 12.; S. Gaudentii Episc. et Conf. Febr. 12.; S. Lupicini Episc. Maii 31.; S. Salvini Episc. Octob. 12.; S. Simplicii Episc. et Conf. Novemb. 20.), Verulanae (SS. Martyrum Blasii et Demetrii. Novemb. 29.), Viennensis (S. Zachariae Episc. Mart. Maii 26.), Virodunensis (S. Mauri Episc. et Conf. Novemb. 8.).

---

[1]) Antiqua monumenta ecclesiae Aquinatis Baronio communicata fuerunt a Flaminio *Philonardo* eius sedis episcopo.

[2]) Baronius uti potuit tam emendatis per Gabrielem *Paleottum* Card. Archiepiscopum Bononiensis ecclesiae tabulis pristinis quam *Sigonii* commentario manuscripto.

[3]) ubi Pontificium diploma de canonizatione S. *Bennonis* asservatum invenit Baronius, cui nec Hieronymi *Emseri* nec Joannis *Cochlaei* de gestis eiusdem s. episcopi scripta erant ignota.

[4]) Tabulae Mediolanenses nuper diligentia viri eruditi *Galesini* restitutae. (Ann. a. 8. Februar.)

[5]) Tabulas ecclesiae Senonensis ante Baronium iam descripserat *Demochares*, qui etiam primus Gratiano medicas admovit manus. Cfr. Steph. *Baluzii* Notae ad Ant. Augustinum p. 425. *Schulte*, Quellen des kathol. Kirchenrechts (Giessen 1860) p. 328.

[6]) De eo etiam vetera monumenta ecclesiae Tudertinae, quae vidimus, impartita nobis a R. D. Angelo *Caesio*, eius civitatis episcopo, quibus etiam testatum habetur, eius martyris corpus religiose asservatum haberi in monasterio monialium quod dicitur de Militiis. (Ann. a. 13. Febr.)

[7]) Vitam S. Eusebii cum ex antiquis monumentis ecclesiae Vercellensis, tum etiam ex sanctorum Patrum elogiis contextam, una cum translatione ipsius recenter facta, R. D. Joannes Franciscus *Bonhomius,* eius sedis episcopus, edendam curavit. (Ann. a. Cal. Aug.)

[8]) Tabulae ecclesiae Veronensis illustratae commentario Augustini *Valerii*, eius sedis episcopi. (Ann. a. 12. Febr.)

XXII.

Venio ad res gestas Martyrum et aliorum Sanctorum Martyrologii ex omni antiquitatis memoria collectas, quas pro institutae scriptionis ratione Baronius ita breviter attigit, ut fontes unde uberius hauriri possint, indicaret. Haud pauca huiusmodi Acta ex diversis extra Urbem ecclesiarum archivis acceperat in iisque congerendis Antonius Talpa Severinas, Congregationis

Oratorii presbyter,[1]) diligens studium et officium laudabiliter impenderat. Satis habeo citare Acta SS. Abundii et Abundantii, Agathae, Agrippini, Albinae, Alexandri, Ambrosii Centurionis, Anastasii Persae, Barontii et Desiderii, Brigidae,[2]) Brunonis, Carpophori, Casimiri,[3]) Crescentii, Cyrilli Hierosolymitani, Donati, Ephisii, Euthymii,[4]) Eutropii et Soc., Feliciani, Felicis, Franciscae Vid.,[5]) Georgii,[6]) Gulielmi, Illuminatae, Juliani, Luxorii, Magni, Marcellini, Marci Ep., Margaritae, Mariae Jacobi,[7]) Matthaei Apost.,[8]) Mauri et Severi, Mercurii et Soc.,[9]) Palatiatis et Laurentiae, Paridis, Patermuthii et Soc.,[10]) Paulini, Philippi Florentini, Proti et Januarii, Pudentianae, Restitutae, Romuli, Rosae, Rufini Ep.,[11]) Sabini, Scillitanorum,[12]) Secundinae, Severi, Severini, Simplicii, Vincentii Lev.[13])

---

1) *Villarosa*, Memorie degli Scrittori Filippini II, 99 sq.

2) Habentur quaedam eius acta apud *Sur.* tom. 1. Verum longe prolixiora legi in vet. cod. manuscr. monasterii *S. Caeciliae trans Tiberim*, viginti quatuor distincta capitibus. (Ann. a. 1. Febr.)

3) Exstant eius acta scripta accurate a Zacharia *Ferrerio* Vicentino, episcopo Gardensi, Legato Apostolico in Polonia. Qui etiam auctoritate Romani Pontificis divinas preces, sacros hymnos ac denique integrum Officium ecclesiasticum in eius honorem recitandum conscripsit. (Ann. a. 4. Mart.)

4) Cuius acta leguntur in gestis S. Crescentii martyris: accepimus ea ab ecclesia *Perusina*. (Ann. a. 29. Aug.)

5) Legi ex archivio eius monasterii duos manuscr. codices, quibus eius praeclarissima acta et miracula sunt consignata. (Ann. a. 9. Mart.)

6) Acta *S. Georgii* multis haud dubium referta mendaciis. (Ann. a. 23. April.)

7) Eius rei gestae (Translation. S. Mariae Jac.) historiam accepimus editam a *Verulana* ecclesia . . . alia insuper de his manuscripta accepimus ab ecclesia *Pistoriensi* praedictis consentientia. (Ann. a. 25 Mai.)

8) Acta eius novissime ex antiquis monumentis et sanctorum Patrum scriptis collegit R. D. Marc. Antonius *Columna* archiep. Salernitanus, et sane quidem erudite. (Ann. a. 21. Sept.)

9) Horum acta accepimus edita ab ecclesia *Leontina*, iuncta simul cum rebus gestis sanctorum martyrum Adelphii, Philadelphii et Cyrini. (Ann. a. 10. Decemb.)

10) Legi horum acta in vet. cod. basilicae *S. Petri in Vaticano*, sed quae censura et emendatione indigeant. (Ann. a. 9. Jul.)

11) Agitur de eodem hac die in Ecclesia *Marsicana*. Legi tam eius quam S. Caesidii eius filii martyrii acta ab eadem ecclesia accepta; quae tamen non levi indigent emendatione. Sed reperimus alia illis fideliora, sed imperfecta, nobis impartita ab ecclesia *Pistoriensi*. (Ann. a. 11. Aug.)

12) Habemus horum ss. martyrum acta, prout excepta fuerunt a *Notariis*, et relata in *acta Proconsularia*, absque ullo aliquo fuco vel additamento inde descripta, nobis quidem quovis thesauro chariora.

(Ann. ad 17. Jul.) Cfr. Theod. *Ruinart*, Acta Martyrum (ed. *Ratisbon*. 1859) p. 129 sq.

[13]) Huius acta non tantum Latinis, sed et Graecis ob suam excellentiam sunt facta conspicua. A Latinis ea mutuatus descripsit *Metaphrastes*, quae latinitati iterum restituta habet *Sur*. tom. 1. Ipsa autem originaliter latina legimus in vet. manuscr. quae publico usui erant quibusdam ecclesiis, et inter alia in cod. *S. Mariae ad Martyres*. (Ann. a. 22. Januar.)

XXIII.

Ecclesiasticis tabulis et Sanctorum actis subnectimus Breviaria, inprimis antiquiora, ex quibus Baronius depromere non omisit, quae suis disquisitionibus prodesse potuerunt. Huc pertinent Breviarium Ambrosianum (S. Aquilini M. a. 29. Januar.), Br. Antisiodorense (S. Prisci M. a. 26. Maii), Br. Ecclesiae Augustanae (S. Gangulphi Varennensis a. 11. Maii et S. Afrae a. 5. August.), Br. Burgense (S. Mancii a. 15. Maii; SS. Centollae et Helenae a. 13. August.), Br. Ecclesiae Capuanae (S. Vitaliani a. 16. Jul. et S. Rufini a. 26. August.), Br. Eborense (S. Petri Hispalensis a. 8. Octobr. et S. Marcelli Centurionis a. 30. Octobr.), Breviarium Gallicanum (S. Agrippinae V. M. a. 24. Maii), Br. Moguntinum (S. Lulli Ep. a. 16. Octobr.), Br. Monachorum Vallisumbrosae (S. Bernardi Parmensis a. 4. Decembr.), Br. Polonicum[1]) (SS. Cyrilli et Methodii a. 9. Mart.; S. Adalberti a. 23. April.;[2]) S. Floriani a. 4. Maii; S. Ladislai a. 27. Jun.; Translat. Corp. S. Clementis a. 23. Novembr.), Br. Romanum[3]) (S. Petri ad Vincul. a. 1. Aug.), Br. Salernitanum (S. Eusterii a. 19. Octobr.), denique Breviarium Toletanum S. Isidori[4]) eiusque hymni ad celebranda Sanctorum acta compositi (S. Sebastiani a. 20. Januar.; S. Eulaliae Barcinonensis a. 12. Februar.; S. Felicis Gerundensis a. 1. August.).

---

[1]) cuius notitiam *Rescio* amico debuisse videtur. Cfr. Ann. a. 11. April. (In Cracovia natalis S. Stanislai): „Scripsit sanctissimi viri res praeclarissime gestas Joannes *Longinus*, canonicus Cracoviensis . . Accepimus alia nonnulla de eodem Sancto ex veteribus monumentis ecclesiae Polonorum nobis in Urbe commodata a R. D. Stanislao *Rescio* S. R. E. Protonotario, optimi illius ac doctissimi Stanislai Cardinalis alumno, quem ob morum egregiam integritatem et insignem eruditionem plurimi facio." Ant. *Eichhorn*, Der erml. Bisch. u. Card. Stanislaus Hosius (Mainz 1854) I, 2 sq.

[2]) Cfr. *Cod. Vallicellan.* G. 99 (Vitae Sanctorum et alia diversi generis Opuscula et antiqua Monumenta) fol. 54 sq. Vita S. *Adalberti* Episc. et Martyris Pragensis.

[3]) De *Breviario Piano* male sentiebat *Baronius:* „Il Breviario Romano per disgratia nostra è cosi cattivo, che cento et quaranta errori ho notato nelle historie, che ivi si trattano" (*Alberic.* III, 26). Cfr. *Animadversiones* in Historias Sanctorum Breviarii Romani (*Cod. Vallicell.* Q. 33. m. Anecdot. Baron. p. 279) et de recognitione *Clementina* lib. m. inscr. Coelestis Urbs Jerusalem p. 88 sq.

[4]) Essendo esso (il Breviario Toletano) scritto da S. Isidoro, citandosi quello, si cita insieme il detto Santo (*Talpae* Baron. apud *Alberic.* l. c.). Cfr. *S. Isidori* Hispalensis Opp. ed. *Arevalus.* rep. *Migne.* Par. 1850. Prolegom. I, 664 sq. („Cum canones liturgici concilii Toletani IV. Isidoro tribuantur, et cum multa alia Isidorus de officiis ecclesiasticis scripserit, post id temporis non sine idonea ratione liturgia Hispanica *Isidoriana* dici potuit, hoc est, iuxta canones doctrinamque Isidori ordinata, quamvis multa ex antiquis retinuerit — id enim canones ipsi concilii Toletani IV. praecipiebant — et multa etiam a posteris addita et illustrata fuerint".) *Hefele,* Der Cardinal Ximenes (Ed. 2. Tübing. 1851) p. 152 et *Gams,* Kirchengeschichte v. Spanien II, 2 (Regsbg. 1874) p. 188 sq.

XXIV.

Porro qui pervulgatis historicis et SS. Patrum scriptis legendis magnam aetatis partem iam contriverat, Baronius pro parandis in Martyrologium notationibus, quae essent veluti praeludia Annalium, non solum bibliothecarum Romae quarum ipsi penetralia patuerunt, praesertim Vaticanae toto orbe terrarum nobilissimae, necnon Vallicellanae Achillis Statii Lusitani [1]) liberalitate ac munificentia pluribus codicibus dotatae, [2]) Sirletianae, [3]) Sfortianae, S. Mariae super Minervam et Antonii Card. Caraffae monumenta sedulo pervolvit, sed etiam ad Inscriptiones animum retulit textui explanando aptas. Ex. gr. S. Anteri Papae sub Maximino passi et in coemeterio Callisti sepulti (3. Januar.) corpus inde effossum et intra Urbem in ecclesiam S. Silvestri in Campo Martio translatum esse eruit ex veteri inscriptione in lapidea tabula istius ecclesiae. S. Eutychii M. (4. Februar.) epitaphium a Damaso Papa scriptum in tabula marmorea in ecclesia S. Sebastiani ad coemeterium Callisti via Appia incisum invenit. Quoad Turcium praefectum, qui S. Felicis presb. os tam diu iussit lapide contundi, donec emitteret spiritum (23. Jun.), usus est Baronius inscriptionibus ab Aldo Manutio

in libro de Orthographia integre descriptis.[4]) S. Philumenae V. (5. Jul.) corpus Totilae regis Gothorum tempore translatum fuisse a S. Severino episcopo in ecclesiam S. Laurentii apud Septempedanos didicit ex veteri inscriptione una cum corpore reperta sub altari maiori a. D. 1527, cum illud in elegantiorem formam restitueretur, procurante Antonio S. R. E. Card. de Monte. S. Symphorosae et filiorum (18. Jul.) reliquiarum translationem Romam a Stephano Papa factam arguit ex verbis quibus descripta erat plumbi lamina Pio IV. Summo Pontifice in Diaconia S. Angeli in Foro Piscario reperta. SS. Romulae et Redemptae (23. Jul.) veneranda corpora asservari Romae in Basilica S. Mariae Maioris, docuit eum inscriptio musivo opere in apside posita. S. Eusebium Vercellensem martyrium esse passum (1. August.) collegit ex epitaphio in sepulchro eius invento acrosticis versibus.[5]) Nec S. Hippolyti (22. August.) antiquum marmoreum simulachrum solio insidens, in quo circumcirca Graecis litteris inscripti sunt cycli Paschales annorum sexdecim ex Romani Portus ruderibus effossum et in Urbem delatum,[6]) nec Kalendaria ecclesiastica quae Romae visuntur in aliquot antiquorum monasteriorum parietibus descripta, praetermisit. S. Candidam (29. August.) in marmorea tabula quae est in ecclesia S. Praxedis, inter caeteros ibi conditos martyres reperit descriptam. De translatione corporis S. Magni M. (4. Septembr.) deque eius reliquiis reconditis in ecclesia S. Michaelis Archangeli prope Vaticanum tempore Leonis quarti Romani Pontificis informatus est per veterem inscriptionem marmori incisam, in eadem ecclesia collocatam. Ex mscr. commentario Andreae Alciati de rebus Mediolanensibus descripsit pervetustam inscriptionem S. Miroclis Episcopi Mediolanensis de S. Anathalone B. Barnabae Apostoli discipulo (25. Septemb.) in lapide incisam iuxta eius imaginem. In visendo coemeterio subterraneo in suburbiis Neapolis inter alia nobilia antiquitatis monumenta S. Gaudiosi (28. Octobr.) tumuli servatam inscriptionem musivo opere exaratam, licet ob vetustatem iam pene diminutam, vidit ac verba eiusdem schedis suis inseruit. In titulo Equitii sub maiori altari a Sergio iuniore Romano Pontifice reconditum esse corpus S. Silvestri Papae (31. Decembr.) arguit ex veteri inscriptione incisa marmori, intra cancellos istius ecclesiae asservata. Sed haec hactenus, ne nimia cumulem exempla.

---

[1]) Cfr. *Bouginé*, Litterargeschichte (Zürich 1790) p. 183. *Dudík*, Iter Romanum. I. (Wien 1855) p. 14. *Lais*, Cenni Storici pp. 3. 5. 9. 10.

[2]) Exstat Amphilochii nomine scripta vita Basilii . . dedit eam latinitati Ursus S. R. E. subdiaconus, cuius praefationem, quae desideratur in caeteris, legimus in vet. manuscr. codice nostrae bibliothecae, quam possidemus liberalitate piae memoriae optimi ac eruditissimi viri Achillis *Statii* Lusitani. (Annot. a. 1. Januar.) — Editum reperitur S. Anastasii Sinaitae episcopi nobile opus de rectis dogmatibus et sermones nonnulli, quos olim monachus in Sina positus scripserat; quorum aliquot Latine reddidit ediditque noster Achilles *Statius* dignae memoriae. Habemus et in eiusdem bibliotheca librum Pastoralem S. Gregorii Papae, quem idem Anastasius in Graecum sermonem transtulit (Ann. a. 21. April.). — S. Gregorii Iliberitani commentarios carie obsitos, oblivione obrutos mendisque labefactatos purgavit ediditque noster Achilles *Statius* laudabilis memoriae. (Ann. a. 24. April.) — Pachomii regulas Aegyptiace scriptas translatas in Graecum Latine reddidit S. Hieronymus . . Easdem temporis vetustate pene abolitas, mendis purgatas ac restitutas edidit noster Achilles *Statius*, vir probitate et eruditione insignis, quas, ut nobile vetustatis monumentum, posuit in appendice sui Cassiani, quem summo cum labore restituit illustravitque eruditis annotationibus D. Petrus *Ciaconus*. (Ann. a. 14. Maii.) — Duae insuper epistolae S. Martini in Chersoneso positi . . Habemus eas omnes in vetustissimo codice nostrae bibliothecae . . sunt nobis quovis thesauro cariores; unde bene precamur dignae memoriae Achillis *Statii*, qui legata nobis sua bibliotheca, tam insignia reliquit vetustatis monumenta. (Ann. a. 12. Novbr.)

[3]) *Cod. Vallicell.* C. 28 f. 1—131: Index Graeco-latinus librorum qui reperiebantur mscr. in bibliotheca Card. *Sirleti*. Cfr. m. Mantissa p. 343 sq.

[4]) Ad eundem *Manutium* pariter in Ann. a. 14. (ubi de custodia Mamertini loquitur) et 24. Mart. (de S. Latini Episcopi Brixiani ecclesiasticis functionibus) ac 9. Jul. (decret. Desiderii regis Longobard.) recurrit; ad *Jannotum* autem provocat in Ann. a. 23. Maii (Agit de Mercuriali episcopo Limensi Petrus in catal. lib. 10 c. 107. Sed depravate legitur Limensi pro Liviensi: nam constat fuisse Episcopum Foroliviensem; siquidem anno Domini 1576 R. D. Antonius Jannotus Foroliviensis Episcopus eius corpus reperit in marmoreo loculo conditum, serico tectum, ubi in lamina plumbea intus posita haec notata erat inscriptio: Hic Requiescit Corpus Beati Mercurialis Episcopi Liviensis: Obiit Ann. CLVI. Prid. Kal. Maii. Habentur haec memoriae prodita in libello ab eodem Episcopo scripto de modo celebrandi Jubilaei, Cesenae impresso apud Bartholomaeum Raccenium).

[5]) Eiusmodi inscriptiones hoc carminum genere antiquitus conformari, ac primis versiculorum litteris nomen aliquod exprimi consuevisse, exemplo est vetus epitaphium S. Eugeniae martyris Cordubensis, quod recitat *Ambrosius Morales* in appendice ad Eulogium. (Ann. a. Cal. Aug.)

[6]) Cfr. *Bunsen,* Hippolytus u. seine Zeit. Leipz. 1852. I, 12. 158. 163. *Döllinger,* Hippolytus und Kallistus. Regensburg 1853. p. 25 sq.

XXV.

Apparatui itaque sat copioso innixus et litteratura tam sacra quam profana instructus Baronius in Martyrologium Gregorianum Notationes ad omnem ecclesiasticae antiquitatis historiam illustrandam accommodatas ita confecit, ut quamvis propter sublestam aliquot monumentorum quae eruerat fidem nonnusquam offenderet, nihil temere parumve considerate ageret et, veritatis sectator integerrimus, plane nefas atque impium haberet, aliquid affirmare et tueri, quod nullo fulciretur veritatis testimonio.[1]) Qui scriptores quaeve narrationes probatiores et fideliores sint, admonuit; certa ab incertis distinxit; dubitationes et controversias dissolvere ac sedare studuit; plurimarum dictionum sane obscuram notionem et vim declaravit, earum praesertim quae machinas et instrumenta designant, quibus fidei oppugnatores cruciarunt Martyres ac divexarunt;[2]) operi denique universo praefixit de Romano Martyrologio commentationem eruditissimam ac sagacissimam, etsi non immunem erroribus, qui tamen tolerabiles et venia digni esse videntur, quatenus cum praeiudicio de Codice, cuius S. Gregorius M. in Epistola ad Eulogium Alexandrinum mentionem facit, tanquam trunco ramorum seu principio reliquorum Martyrologiorum, nec non cum iis cohaerent, quae supra XIII innuimus. Dispescuit autem commentationem praeviam in decem capita, quorum in primo de exacta diligentia disserit adhibita a S. Romana Ecclesia in conscribendis rebus gestis sanctorum Martyrum. Caput dein secundum spectat ad ea quae de Sanctorum historiis ab haereticis vel aliis falsa scripta sunt. In capite tertio de immensa iactura quam passa sunt sub Diocletiano acta SS. Martyrum, in quarto de antiquo eorumdem cultu agitur, unde scribendi Martyrologium manavit occasio. In capite quinto quaeritur, a quibus primum scripta sint Martyrologia; capita sextum et septimum versantur in criticis argumentationibus de Eusebii libro de Martyribus ac eiusdem versione quae putabatur Hieronymiana, necnon de fide epistolarum quae Chromatii, Heliodori et Hieronymi nomine inscriptae sunt. In capite octavo de antiquo Martyrologio Romano saepius aucto, in nono de caeteris antiquis Martyrologiis Bedae, Flori, Usuardi, Wandelberti, Adonis; in decimo tandem de

falsis haereticorum martyribus eorundemque pseudomartyrologiis auctor tractavit.

[1]) Un Vescovo oltramontano recatosi a lui, nell' atto di vedere l'eruditissime annotazioni che allora andava apparecchiando al Martirologio Romano, e la smisurata copia della materia che teneva in pronto, raccolta in fasci enormi di carte da tesserne la storia, il richiese di che numero d'amanuensi si giovasse nel lavoro, e a lui Cesare con ingenuo sorriso rispose col motto profetico: Torcular calcavi solus. Fu tale la sorpresa del dotto personaggio, che come a cosa al di là delle forze umane, d'indi in poi tenne Cesare in conto più che d'uomo mortale. (Dom. *Sarra*, Vita del V. C. Baronio p. 66.)

[2]) Antonius *Gallonius* Congr. Orat. Presbyter pluribus demum annis post elucubratas a Baronio in Martyrologium Notationes librum „De Sanctorum Martyrum cruciatibus" (Romae 1591) edidit (cfr. Tavole cronologiche critiche della Storia della Chiesa Universale illustrate con argomenti d'Archeologia e di Geografia per Ignazio *Mozzoni*. Secolo Terzo. Venezia 1857. Not. 16). Eiusdem Gallonii Autographum quod servatur in *Codice Vallicellano* H. 22 („Vitae Sanctorum qui post Christi ascensum vixerunt") multa exhibet acta et monumenta ad Menologium Graecum et Martyrologium Romanum pertinentia.

XXVI.

„Sabino," inquit Baronius,[1]) „tantum tribuit S. Ambrosius, ut sua scripta ab eodem voluerit recognosci, censura ipsius examinari atque iudicio comprobari; ut apparet ex eius epistola 63. lib. 8. edit. Rom. ad eundem Sabinum conscripta, in qua haec aurea eius sententia legitur: Unumquemque fallunt sua scripta, et auctorem praetereunt; atque ut filii etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Haec ille beatus et egregius doctor Ecclesiae. In eandem item sententiam S. Augustinus scribens ad Marcellinum epist. 7. Ego (inquit) iudices meos veros, et veritate severos magis intueor etc. Si haec tanti doctores Ecclesiae; quis interim tantum sibi sumat, ut idoneus de se ipso iudex sibi esse videatur? His itaque admonitus, fateor, non unum, sed plures scriptionum mearum semper optavi arbitros. Etsi habeam domesticum cognitorem R. P. Franciscum Bordinum,[2]) virum plane disertum, quocum ab ineunte aetate iisdem litterarum studiis assuevi; tamen praeter eum, quo contentus esse possem, alios eruditos rerum nostrarum non tantum inspectores, sed iudices industria quaesitos adhibere

consuevi." Inter hos autem iudices quos libenter consulebat Baronius gratoque animo audiebat, quum Notationes in Martyrologium elucubraret, praeter Bordinum, Silvium Antonianum, Latinium, Vossium, Ludovicum de Torres all. eminet Guilelmus Lindanus, Episcopus Ruremontanus, vir non tantum omnis generis litterarum eruditione clarissimus et primis saeculi XVI. theologis accensendus,[3]) verum etiam egregii confessoris fidei insignibus nobilitatus, quem negotia ecclesiastica annis 1584 et 1585 Romae detinebant. Unde factum est, ut Baronius Notationum opus ad calcem perductum in lucem editurus Sixto Papae Quinto libellum traderet supplicem, quo suas lucubrationes a Lindano cognosci petiit: „Optarem," inquiens, „prius auctoritate Beatitudinis Vestrae illud relegi et expendi a R. D. Wilhelmo Lindano, Episcopo Ruremundensi, viro tum in theologicis facultatibus, tum etiam in ecclesiastica historia apprime versato. Cumque fuerit a dicto Praesule eiusmodi opus perspectum, discursum atque probatum: fas mihi sit illud praelis committere in usum Christianae religionis." Concessa vero hac cognoscendi potestate, Lindanus d. 22. August. 1585 brevem composuit relationem, in qua se in perlegendis Baronii Notationibus non reperisse, quae ullam suspectae aut novatae fidei ingerant labem, nedum quae sanctae catholicae officiant religioni aut orthodoxae adversentur doctrinae, testatus easdemque dignissimas arbitratus est, ut primo quoque tempore in lucem edantur propter admirandam veteris ecclesiasticae historiae doctrinam et exquisitam atque raram eamque singularem christianae antiquitatis cognitionem. Posteaquam autem die secunda Septembris 1585 Antistes Ruremundensis proxime ex Urbe discessurus eiusmodi relationem Summo Pontifici exhibuerat, Thomas Zobbius, S. Palatii Magister, Calendis Octobris eiusdem anni licentiam dedit opus approbatum imprimendi.

---

[1]) Annot. a. Mart. 11. Decembr.

[2]) „*Bordino* Gio. Francesco Romano. Fu della Congregazione di Roma. Riputato molto per la dottrina, essendosi renduto noto come insigne Teologo, sommo Giureconsulto, e non ignobil Poeta. Fu qnindi fatto Vescovo di Cavaillon, e poi Arcivescovo di Avignone" († 1609). *Villarosa* (Memorie degli Scrittori Filippini. Parte II. Napoli 1842. p. 118), qui etiam opera Bordini recenset.

[3]) Cfr. *Hefele*, Beiträge zur Kirchengeschichte. I. (Tübing. 1864) p. 451. 461.

XXVII.

Reverso in Dioecesin suam Lindano ac mortuo VIII. Idus Octobris 1585 Sirleto, cuius potissimum auctoritate permotus Commentatoris onus susceperat Baronius, Notationes in Martyrologium expertas esse obtrectatores, qui ne opus excuderetur impedituri a dolis nectendis non abhorruerint, quorum tamen artificia tandem in irritum ceciderint, ex epistola Baronii patet Episcopo Ruremontano inscripta, cuius quidem autographum in bibliotheca Vallicellana exstat absque temporis nota. At si exordium[1]) et argumentum documenti perpendimus, dubium de momento chronologico evanescit positivum. Etenim de responso agitur quod dedit Baronius ad duas Lindani litteras Traiecti ad Mosam 7. Novembr. 1585 et Ruremundae 9. Januar. 1586[2]) conceptas. Episcopo itaque inter alia sciscitato, quid de Martyrologii editione confectum sit („In horas aveo cognoscere, quidnam de tuis in Martyrologium Romanum notis effeceris; quod equidem spero nunc isto sub praelo gemere") in epistola citata Baronius haecce rescripsit:[3]) „Notationes in Romanum Martyrologium Summi Pontificis iussu solertique tua industria recognitas, examinatas ac praeclaris elogiis[4]) consignatas, iam Deo iuvante sub praelo esse noveris. Mentiar, si dicere satis me posse arbitrer, quibus illae antea invidorum sint laceratae calumniis, quibus exagitatae furoribus, ac nebulis propemodum obscuratae; rem tamen ipsam paucis absolvam. R. D. Magister Sacri Palatii, cuius muneris est edenda cognoscere, simul ac testimonium tuae pietatis perlegit, magnopere illud reveritus, eundem Commentarium suo chirographo communivit. Praestitit id ipsum et R. D. Vicarius Apostolicus.[5]) Putabam iam rem absolutam, quum repente typographias mihi occlusas reperi, et typographos qui avidius opus exspectarant ac instanter expoposcerant, ab eius editione prorsus aversos inveni. Quid tandem dicam uno verbo? Judicavit Deus causam meam, utinam non tam severe. Probe nosti, Pater amantissime, quum de his tecum amice quererer in amaritudine animae meae, quum potentium robore opprimerer, me divinum implorasse iudicium. Quum itaque magis magisque in dies exagitarer, tandem excitavit Deus adversus seniores Israel spiritum Danielis, ipsum dico Illustrissimum ac Reverendissimum Antonium Caraffam[6]) Bibliothecarium

Cardinalem amplissimum, cuius sanctissimae vitae mores, egregiamque insuper eruditionem tibi satis perspectam esse scio. Hic inquam rebus nostris percognitis, egregiis laudibus apud viros quosque eruditos, ac denique apud ipsum Summum Pontificem mirifice praedicavit, easdemque perquam accurate[7]) edendas curavit. Itaque sub praelo sunt."

---

[1]) Optatas semper exspectatasque diu pietatis tuae tandem accepi litteras etc.

[2]) *Raym. Alberic.* III, 139. 141.

[3]) *Alberic.* I, 173 sq.

[4]) Alludit non relationi Sixto V. exhibitae, sed hisce elogiis quibus Antistes Ruremundensis opus Baronianum prelo submittendum Romae XIV. Kal. Septemb. a. 1585 „Candido Lectori christiano Antiquitatis ecclesiasticae studioso" commendavit: Commentarii venerabilis Christi Sacerdotis D. Caesarii Sorani in Martyrologium Romanum, a nobis locis omnibus, ex iussione Sanctissimi Domini nostri Sixti Papae quinti, recogniti nobis quidem nihil obiecerunt, quod iustam censuram mereri aequis lectoribus videatur, quod ad orthodoxam quidem fidem doctrinamque catholicam pertinet. Si quae paradoxa quibusdam forte videbuntur, illa equidem eo esse loco habenda arbitror, ut avidius expetantur, et cum solida firmaque veritate consistant, libentius accipiantur: quod in iis insunt, ut et in aliis huius auctoris lucubrationibus, erudita inprimis, praeclara, et incredibili christianae antiquitatis studio in lucem eruta; quae admirandam scriptoris arguunt in Ecclesiasticis historiis aut corrigendis aut conciliandis aut de caligine morsuque blattarum eruendis industriam, sicuti et rarum eiusdem idque argutum variis de historiis aequo minus exactis aut fide dignis iudicium, et elaboratissimum antiquitatis Ecclesiasticae inter tot salebrosa et spinosa veluti dumeta investigandae studium. Ad cognoscendam enim venerandam illam Religionis Christianae non modo antiquitatem, sed sanctorum etiam Patrum et Synodorum, actarumque in Christi Ecclesia ab usque sui exordio rerum veritatem, certam annorum seriem, liquidamque temporum intricatissimorum supputationem faciant eximie, potissimum iis qui serio historiae Ecclesiasticae ex vero cognoscendae studio tenentur, vanas, apocryphas et aniles, ne dicam superstitiosas execrati fabellas; quae longum post somnum, scriptis, imo doctis alioqui scriptoribus sensim irrepentes Ecclesiasticis, non leviter sacras contaminaverunt SS. Martyrum historias. Denique ut finem faciam, incomparabile tibi adferant momentum ad solidam rerum in Ecclesia dubiarum in posterum constituendarum confirmationem adversus vertiginosa, ne dicam semidelira, quorundam huius seculi ardelionum levissimorumque novatorum (quorum hodie, proh dolor, magna est natio) ingenia; qui sursum deorsum omnia volventes, illas iam pridem a SS. nostrae Religionis Catholicae Patribus definitas conantur in dubium revocare. Manifestam enim in his agnoscas Romani Pontificis in apostolica S. Petri Christi Jesu Vicarii Pastoris cathedra successionem, quod nunc tempestatis contra unam Dei supra Petrum fundatam Ecclesiam infestissimae, tot inter fidei undique oppugnatissimae controversias caput est: quo uno evicto et constabilito, facessat, concidat

facile, imo suos in fumos vanissimos evanescat oportet omnis infestissimorum Christi hostium et caelestem illam Sion odientium inanis molitio, vereque Theomachica coniuratio et futilissima exagitatio; ut ad illustrem solis splendorem nebulosa diffluit caligo. Vale Christiane lector, et his commentariis felix fruere, brevi Annalibus Ecclesiasticis eiusdem Scriptoris maiori studiorum tuorum emolumento et fructu incomparabili perfruiturus.

[5]) Mendum id videtur esse scripturae et potius legendum: „Vicarius Urbis", cui sane vel cuius Vicesgerenti una cum S. Palatii Magistro competit facultatem libros in Urbe imprimendi concedere. Cfr. *Lunadoro*, Relazione della Corte di Roma (ill. da Francescantonio *Zaccaria*. Roma 1774) P. II p. 229. G. *Phillips*, Kirchenrecht T. VI (Ratisb. 1864) p. 526 sq.

[6]) Antonius *Caraffa* fuit unus ex triumviris cardinalibus, quibus Gregorius XIII. negotium demandavit suscipiendi et perficiendi collectionem recentiorum Canonum in tota ecclesia desideratam, quae auctoritate apostolica confirmata in lucem esset proditura (Clementis VIII. Decretales ed. *Sentis*. Friburgi Brisgoviae 1870. Prolegom. p. VIII). Cfr. *Baronii* Epistola qua Caraffae primum Annalium tomum obtulit, necnon praeconia in Not. a. Mart. d. 26. Jun. (Vetus est Romae titulus SS. Joannis et Pauli nomine . . Praeest hodie huic Ill. ac Rev. Antonius Caraffa, eiusdem tituli Cardinalis amplissimus, S. R. E. Biblioth., cuius egregia eruditio, spectatissima morum integritas atque pro christiana religione ardentissimum studium, non tantum titulum illum ipsamque Romanam ecclesiam, sed totum christianum orbem illustrat) et in Apparatu ad Annales: „Quis unquam compluribus retro decursis saeculis adeo de christianis litteris bene meritus reperitur atque Antonius cardinalis Caraffa? cuius industria intermortua editio Septuaginta duorum rediviva inexspectata comparuit et nostra vulgata plurimo excusso pulvere enitescit, cuius et diligentia oecumenica antiqua concilia tam latine quam graece conscripta iam sunt candori pristino restituta. Sed et eiusdem venerandae memoriae viri industria tres etiam tomi epistolarum Romanorum Pontificum (ingens plane Ecclesiae romanae thesaurus a ruderibus antiquitatis effossus) iam habentur excusi."

[7]) Mandatum *Caraffae* minime servatum, sed plagulas haud satis excultas et expurgatas e manibus suis praereptas et nimis festinanter typis exscriptas fuisse, *Baronius* postea non semel conquestus est. Cfr. Juvenali *Ancinae* C. R. Di Roma 4 Giugno 1588: Nella stampa si attese alla correttione delle Opere di S. Bonaventura, qual faceva stampar S. Sant. (*Fidelis a Fanna*, Ratio Novae Collectionis Operum S. Bonaventurae. Taurini 1874. p. 20) taliter le cose mie trasandavano etc.

XXVIII.

Eodem adhuc anno 1586 Romae ex typographia Dominici Basae parum accurati prodiit demum Martyrologii cum Notationibus Baronii recensio[1]) Sixto Papae Quinto[2]) dicata, servato tamen titulo Martyrologii Romani editi iussu Gregorii XIII.,

cuius litterae ad eius initium relictae sunt.[3]) Doluit Baronius suas lucubrationes mendis obsitas nec tam in lucem editas quam offusas tenebris esse; sed maiori affectus est molestia, quum ipso penitus inconsulto easdem Dusinellus typographus Venetus a. 1587 emitteret adeo inemendatas, ut in deterius dilaberentur. Quapropter eo opportunius accidit, ut Lindanus exactam operis recusionem Antverpiensem moliretur,[4]) et eo magis gratas acceptasque habuit Baronius litteras die 5. Februarii a. 1588 a Christophoro Plantino datas, in quibus celebris Architypographus Regius eleganter ac delicate ita quidem scripsit:[5]) „Quum Martyrologium Romanum annis proximis restitutum doctissimisque tuis notationibus illustratum, Francofurto ab institore nostro ad nos allatum esset, dignum omnino iudicavi, quod aliquot antistitibus et reverendissimis viris offerrem. Illi vero quum vel primis labris id degustassent, tantopere opus istud laudarunt, ut contenderint prorsus a me illico recudendum esse in harum regionum usum. At ego duabus potissimum de causis id recusavi. Prima et praecipua, quod numquam aliquid ab auctore vivo alicubi excusum recudere consueverim, nisi cum eius bona gratia ab eo ipso facultatem recudendi impetravero. Altera est, quod res meae privatae adeo variis sint adversitatibus attritae et attenuatae, ut faciendis sumptibus par non forem. Sed hunc mihi scrupulum statim ademerunt, et se in sumptibus faciendis me sublevaturos promiserunt. Priorem igitur istam remoram tu solus es qui tollere potes, si modo permittere tibi placuerit, ut impensis eorum praelo meo eum subiiciam; nihil quippe commodius his regionibus accidere posset. Quod si impetro, iterum maiorem in modum te rogo, ut si quid in dicto libro addendum, demendum corrigendumve observaveris, nobiscum illud communicare digneris.. Haec si feceris, rem sane quam gratissimam feceris, meque aeternum tibi obligaveris, etsi promptum et paratum me alioquin ad omne tibi pro meis viribus obsequium praestandum scito.“

---

[1]) Exemplar *Vallicellanum* (Q. 30) multis in locis a Jacobo *Vulponio* (cfr. *Villarosa*, Memorie II. 117) propria manu emendatum est.

[2]) De audientia in qua *Baronius* opus suum attulit ad pedes Summi Pontificis praeclaros auctoris labores admirati cfr. Hieron. *Barnabei* Vita C. B. p. 46 et *Sarra* p. 70 sq.

[3]) *Lambertin.* De Serv. Dei Beatif. IV, 2. 17. n. 6.

[4]) Mgr. *Lindano* . . dice voler far ristampare in Anversa. (Antonio *Talpae* Caes. Bar. Di Roma 9 Luglio 1587).

[5]) Raym. *Alberic.* III, 150. *De Ram*, Lettres de Laevinus Torrentius et de Christophe Plantin p. 4.

XXIX.

Plantini litterae Nonis Martii 1588 allatae sunt ad Baronium, qui sine mora postridie iam humaniter et amanter rescripsit,[1]) facultatem petitam lubentissime largitus simulque pollicitus, se quamprimum Romanum Martyrologium emendatum et aliis compluribus auctum esse missurum. Collatis igitur cum Juvenale Ancina,[2]) Antonio Talpa, Silvio Antoniano viribus et consiliis[3]) per proximos menses in recognoscendo et retractando exemplari Romano diligenter insudavit singulaque Martyrologii cum Notationibus revisi, correcti[4]) et aucti[5]) folia paulatim in celeberrimum emporium transmisit.[6]) Impetrata autem approbatione censoris ecclesiastici et obtento privilegio regis Hispaniarum,[7]) Plantinus exeunte mense Septembri a. 1588 rem aggressus et summa cura prosecutus est. Nec parum profuit editioni, quod a Plantino rogatus Laevinus Torrentius, Episcopus Antverpiensis, doctrina conspicuus, in tollendis operarum mendis sedulo laboravit.[8]) Praeterea terniones ad unum omnes venerunt in manus Baronii, qui moneret quod sibi displicuisset, et demenda seu inserenda indicaret.[9]) Itaque mense Aprili a. 1589 sub praelis gemendo liber eo processerat, ut Torrentius Baronium reddere posset certiorem, paene absolutum esse Martyrologium;[10]) quod revera brevi post (eodem fere momento quo egregius Plantinus ex mundi pelago evocatus est in salutis portum)[11]) emanavit sic inscriptum: Martyrologium Romanum, ad novam Kalendarii rationem, et ecclesiasticae historiae veritatem restitutum. Gregorii XIII. Pont. Max. iussu editum. Accesserunt Notationes atque Tractatio de Martyrologio Romano: Auctore Caesare Baronio Sorano, Congregationis Oratorii Presbytero. Secunda editio ab ipso auctore emendata et compluribus aucta. Antverpiae, Ex officina Christophori Plantini, Architypographi Regii. MDLXXXIX.[12])

---

[1]) Christophoro Plantino Architypographo Regio Caesar Baronius. Romae VIII. Idus Martii 1588. *Alberic.* I, 182 sq.

[2]) Cfr. Vita del Ven. Giovenale Ancina della Congregazione dell' Oratorio Vescovo di Saluzzo per Aniceto *Ferrante.* Napoli 1856.

[3]) Hora dico, che seguiti innanzi, et con diligentia et prestezza la correttione incominciata, perche il Plantino sollecita, che se gli mandi per ristamparlo (*Juvenali Ancinae.* Di Roma 4 Giugno 1588). Gli fogli, quali si mandano al Plantino, da me si riveggono con ogni diligentia

parola per parola, con aggiungere et minuire secondo la correttione del R. P. Giuvenale, M. Silvio etc. (Antonio *Talpae*. Di Roma 9 Luglio 1588).

[4]) Cfr. Ind. emendat. ap. *Alberic*. I, 183. b et de fictitia S. Xynoride (τοῦ μακαρίου Βαβύλα καὶ τῆς ξυνωρίδος τῶν ἁγίων μαρτύρων. S. Joann. *Chrysostom*. Εἰς τὸν πλούσιον καὶ τὸν Λάζαρον λόγος τέταρτος. Opp. ed. *Migne*. T. I. P. post. Par. 1862. p. 1007) Prosp. *Lambertin*. De Serv. Dei Beatif. IV, 2. 17 n. 9 (Ad diem 25. Januarii fiebat in Martyrologio Romano commemoratio Sanctae *Xynoridis* Martyris, facta translatione nominis appellativi ad proprium; Xynoris enim Martyr inducta fuerat ex male intellecta auctoritate S. Joannis Chrysostomi hom. 4. de Lazaro, cum Xynoris apud eum non proprium nomen alicuius, sed par Martyrum indicet, Juventini scilicet et Maximi, qui Antiochiae passi sunt sub Juliano. Sed, cum de errore fuerit admonitus C. Baronius a Petro Pithoeo, Nicolao Fabro et Petro Ducaeo, et error quidem ipse correctus fuerit, nulla amplius eius habenda est ratio), Act. Erudit. Lips. 1742 exc. in Benedicti XIV. Opp. ed. *Prat.* Tom. I p. LVII ac C. de *Smedt,* Introd. Gener. p. 149.

[5]) Ex angustis Notationum limitibus in latiorem disputationis campum progressus est Baronius, ubi contra *Ugonium* (cuius liber Italice scriptus de stationibus Urbis a. 1588 prodiit, quum Bar. Plantinianam Martyrologii editionem meditaretur) a. d. 14. Mart. sententiam de loco Carceris Tulliani pridem assertam defendit.

[6]) Tertias tuas in Martyrolog. Rom. emendationes lubentissimo uti priores animo recepi, et continuo ei qui librum secundum correctiones tuas emendandum susceperat, tradidi. (Caes. *Baronio* Christoph. *Plantinus.* Antverp. postr. Id. Aug. 1588.)

[7]) Te certiorem facere volui, redditum tandem mihi esse Martyrol. tuum Romanum a Censoribus Ecclesiasticis, atque missum esse a me Bruxellas ad obtinendum privilegium ab Aula, quod ubi impetravero, nulla mora erit, quin statim praelo subiecturus sim. (Baronio *Plantinus* prid. Kal. Sept. 1588.)

[8]) Vidi, quod Christ. Plantini typis imprimi cupis Martyrologium tuum . . nec omittere potui, quin, tametsi ne nomine quidem notus, has ad te litteras darem, meamque offerrem in hac civitate operam, si quid forte editioni prodesse possim. Romae etenim non tam emendata prodierunt . . Et hoc quidem ut facerem, me rogavit Plantinus noster . . Sed exceptis operarum mendis nihil mutabitur, cuius non te faciam per litteras certiorem. (C. Baronio *Laevinus Torrentius.* Antverpiae 6. Kal. Septembr. 1588. *De Ram*, Lettres de Laev. Torr. p. 7 sq.)

[9]) Caes. Baronio Christoph. *Plantinus.* Antv. 19. Octobr. 1588: „Nunc Ternionem unum Martyrologii tui mitto" etc. Antonio *Talpae* Caes. Baronius. Di Roma li 9. di Decembre 1588, li 28. di Gennajo 1589, li 21. di Aprile 1589. (*De Ram* p. 8; *Alberic.* III, 37. 39. 40.)

[10]) Baronio *Torrentius.* Antverp. 13. April. 1589. *De Ram* p. 12.

[11]) Caes. Baronio Franciscus *Raphelengius.* Antverpiae in typographia Plantiniana 7. Id. Julii 1589: „Cum Deo O. M. visum sit,.. Avum et patronum mihi carissimum post emensos eximia constantia septuaginta et quinque aetatis annos .. Kalendis Juliis evocare .. Ad res tuas quod attinet, Martyrologium absolutum scis et, ut spero, habes."

[12]) Cette édition de Plantin a été reproduite plus d'une fois par les presses de Paris et de Cologne. (*Matagne* l. c. p. 149.)

XXX.

„Ingenuus animi candor, libertas absque fastu et indeflexus veri tenor sic in scriptis tuis aequaliter lucent, ut quodnam ex iis emineat, agnosci non possit. Hoc enim est non meum, sed doctorum omnium quos vidi de istis iudicium. Martyrologium tuum quotidie legimus, et quotidie magis magisque miramur.“ Ita Nicolaus Faber Parisiensis, doctrinae tam ecclesiasticae quam saecularis cognitione praestans,[1]) in epistola VIII. Kal. Mart. 1591 ad Baronium data.[2]) Sane ab hoc utilem ac necessariam reipublicae christianae operam in Martyrologio fuisse navatam, liquet ex applausu quo aureae Notationes variis in orbis terrarum partibus sunt exceptae, et ex gloria propter laborem feliciter peractum a Baronio undique parta. Eiusmodi encomia possem in medium afferre complura v. gr. Jacobi de Marquais Tornacensis, Capituli Conchensis, Odoardi Simonii Farensis, Sebastiani Monticuli Patavini, Papirii Massoni Lugdunensis. Verum ex mole litterarum post vulgatas editiones Romanam a. 1586 et Antverpiensem a. 1589 e diversis locis a viris eruditis redditarum ea tantummodo documenta mihi videntur esse respicienda, quae attingunt quaestiones Martyrologii historico-criticas ac partim iam editioni Plantinianae subservierunt, maximam autem partem non parum momenti habuerunt ad recensionem Romanam a. 1598, cujus infra fiet mentio, adornandam. Huc pertinent Epistolae in Bibliotheca Vallicellana servatae, quas Baronio inscripserunt Hieronymus de Rubeis, Henricus Gravius, Vincentius Justinianus Antist, Hieronymus Higueras, Rolandus Vincleius, Nicolaus Serarius, Joannes Soria, Marcus Velserus, Joannes Pistorius et Georgius Colvenerius.

---

[1]) *Du Pin*, N. Biblioth. des auteurs eccl. (Amst. 1711) XVII, 48 sq. Praeclara est *Fabri* ad Thuanum praefatio in fragmenta S. *Hilarii* Pictaviensis historica (Opp. ed. *Migne*. II, 619 sq. 887 sq.) ex bibliotheca Pithoei a. 1598 primum publicata. Cfr. *Reinkens*, Hilarius von Poitiers (Schaffh. 1864) p. 210 sq.

[2]) *Alberic*. I, 223.

XXXI.

Una cum tabulis Ravennatibus iam in editione principe Martyrologii commentariis illustrati Baronius non semel citaverat Hieronymi de Rubeis historiarum Ravennatum libros undecim, neque tamen omnes eiusdem sententias probaverat. Hinc quidem contentiones inter utrumque scriptorem esse obortas, sed livorem vel aemulationem aliquam inde, ut assolet, non intercessisse, testes sunt Hieronymi de Rubeis ad Caesarem Baronium litterae sub finem a. 1587 exaratae,[1]) in quibus capita controversa sic innuuntur: „In tre cose Ella disente da me: cioè, nella Vita di S. Severo, in Vitale Arcivescovo, che abbia edificato la Chiesa di Santo Andrea, ch'io ascrivo a S. Pietro Chrisologo, et ultimamente in Giovanni Arcivescovo, a cui scrive Gelasio Papa.“ Ad S. Severum[2]) quod attinet, Hieronymus de Rubeis eum temporibus Aureliani Imperatoris, quum Gaius Pontifex Romanae praeesset ecclesiae, creatum episcopum Ravennatem Marcellino successisse asserit, negat Baronius urgens inprimis, Severum Ravennatem subscripsisse concilio Sardicensi,[3]) in Romana autem synodo sub Julio ante concilium Sardicense celebrata Agapitum Ravennatem antistitem interfuisse. Obiectiones Baronii non firmis rationibus diluit Hieronymus de Rubeis, sed ad coniecturas haud probabiles confugit, tam duos Agapitos quam Concilium Romae mense Septembri a. 348 habitum fingens. Porro erectionem basilicae S. Andreae a Rubeo perperam S. Petro Chrysologo, a Baronio[4]) iure Vitali episcopo Ravennati attribui, ex duobus epigrammatibus Venantii Fortunati,[5]) ad quae etiam editio Plantiniana pag. 188 recurrit, luce clarius apparet. Denique in Martyrologio Romano pridie Idus Januarii qui commemoratur S. Joannes episcopus et confessor Ravennas, Neonis successor, ad quem data Consule Severino i. e. a. 482 exstat Simplicii Papae epistola,[6]) eundem ad tempora usque Gelasii pervenisse Baronius ex Gelasii Papae epistola ad episcopos per Lucaniam et alios per diversas provincias constitutos Asterio et Praesidio Consulibus a. D. 494 scripta cap. 1[7]) recte arguit simulque redarguit Rubei opinionem, quod ante Gelasii creationem mortuus iam fuerit Joannes. Quare non potest Rubeus quin fateatur in litteris quas supra allegavimus: „In questo ultimo siamo

d'accordo .. Jo non aveva infin quando si stampò la mia Istoria di Ravenna, la lettera di quel Papa, che ebbi poi, di cui fa anco mentione il Sigonio."[8])

---

[1]) Di Ravenna li 30. di Decembre 1587. *Alberic.* I, 176 sq.

[2]) Martyrol. Roman. *Calend. Februar.*

[3]) Cfr. *Hefele,* Conciliengeschichte. T. I. Freib. i. Br. 1855. p. 524.

[4]) Martyrol. a. *28. April.* not. a.

[5]) *Venantii Fortunati* Opera omnia ed. *Migne.* Par. 1850. p. 63 sq. Miscell. I, 1. 2. Vitalis Ecclesiae Ravennensi eo ipso tempore praefuit, quo Fortunatus Ravennae degebat. Num autem Vitalis, qui minime occurrit in catalogis episcoporum Ravennatum, non alius fuerit a Maximiano (546—553), quem *Agnellus* narrat basilicam S. Andreae restaurasse, controvertitur. Cfr. Mich. Angelus *Luchi* in Not. ad Venantium.

[6]) Andr. *Thiel,* Epistolae Romanorum Pontificum genuinae. Tom. I. Brunsbergae 1868. p. 201 sq.

[7]) *Thiel* l. c. p. 362: „sicut fratris et coepiscopi nostri Johannis Ravennatis ecclesiae sacerdotis frequenti relatione comperimus."

[8]) Cfr. Cesare *Cantù*, Storia della Letteratura Italiana. Firenze 1865. p. 157.

XXXII.

Henricus Gravius, clarissimus Lovaniensis theologus,[1]) de S. Augustini operum castigatione meritissimus, qui mense Septembri a. 1587 a Plantino grande volumen Martyrologii una cum Caesaris Baronii notationibus Romae a. 1586 impressum acceperat et in operis interiora alte ingressus, quum rerum sacrarum ad historiam pertinentium haud vulgarem deprehendisset thesaurum, non minus quam Lindanus typographo Antverpiensi auctor fuerat, ut recognitum exemplar proelo subiicere ne dubitaret, mense Junio a. 1588 epistolare cum Baronio iniit commercium, cuius in primo specimine,[2]) praeterquam quod valde sibi placuisse ait quae Martyrologii Commentator de BB. Silvestro, Paulino et Hilario Arelatensi aliisque compluribus observatione digna notarit, duas praecipue materias perstringit. Baronius enim in suis Notationibus Joannis Molani in Usuardi Martyrologium laboris honorificentissimam pluries fecerat mentionem necnon in Prolegomenis cap. IX coniecerat Molanum existimasse Romanam Ecclesiam non alio quam Usuardi uti Martyrologio et idcirco de Martyrologio Romano agere in erudita

de cunctis Martyrologiis tractatione praetermisisse. Itaque quod Molani amici a. 1585 defuncti cum laude meminerit Baronius, magnam eius nomine gratiam habet Gravius simulque scribit, Baronium probe caussam animadvertisse, cur Molanus Romani nominatim Martyrologii non meminerit, „qui vere non aliud alibi quam illud Usuardi in usu credidit, quando non aliud quam Romanum esse videatur cum ab Usuardo ipso tum a posterioribus locupletatum.“ Subiungit autem insuper Gravius, ut primum Martyrologium Gregorianum a. 1584 ad Lovanienses perlatum fuerit, Molanum notationes suas in Usuardum iam pridem scriptas sub incudem revocasse et multis locis recognitas auctasque Romano Martyrologio iussu Gregorii XIII. excuso attemperasse. Cuius operis edendi curam auctor suo testamento delegarat Gravio, qui de ista editione iam cum Plantino agere coeperat, sed ubi Martyrologium Baronii a. 1586 videre contigit, eam cogitationem deposuit, quum vix quidquam apud Molanum reperiret, quod non a Baronio luculentius copiosiusque expressum atque tractatum fuisset.[3])

---

[1]) a quo lucubrata est Facultatis Theologicae Lovaniensis Censura super assertionibus de S. Scriptura, Gratia et Praedestinatione a. 1586 Lovanii scripto traditis. Romam deinceps vocatus et typographiae vaticanae in edendis SS. Patrum operibus praefectus, sed praematura morte ereptus *Gravius* Epitaphium, quod eius tumulo moerens apposuit *Baronius*, obtinuit hocce: D. O. M. Henrico Gravio eximiae probitatis spectataeque eruditionis Viro. Quem post quatuor lustrorum in florentissima Lovaniensi Academia S. Theologiae publicam professionem, Sixtus V. P. M., insignis eruditionis ergo, Romam evocavit: Gregorius XIV. in Pontificiam Aulam excepit: sed amplioribus dignum honoribus Christus in Coelum evexit die 11. Aprilis anno 1591. aetatis suae LV. (August. *Le Blanc*, Histor. Congreg. de Auxil. Mogunt. 1699. p. 52).

[2]) Caesari Baronio *Henricus Gravius*. Lovanii ex Theologico Collegio 16. Kalend. Jun. a. 1588. (*Alberic.* III, 151 sq.)

[3]) *Baronius* huius epistolae Gravii rationem habens in editione Martyrologii *Plantiniana* p. XXI: „Quae,“ inquit, „proinde mihi causa fuit, ut apud D. Gravium per litteras agere coeperim, ut eruditissimi viri (Molani) monumentum edere non praetermitteret: ita enim futurum, ut duorum vel trium concurrente testimonio, veritati possit firmius esse consultum. Equidem tanti viri, de Ecclesia Dei et veritate catholica optime meriti, nec brevem scedulam deperire aequanimiter patior: cui (dicam ingenue) isthaec omnia hac ex parte accepta fero, quod in densissimam silvam primus ipse ingressus, mihi aliisque aditum patefecit: quo etiam nomine cum ego tum eruditi omnes plurimum nos ei debere lubenter agnoscimus et confitemur.“

XXXIII.

Quoad alteram materiam, in ea tractanda Gravius critices principiis legitime utitur mentisque acumen et circumspectum iudicium expromit. Calendis Martii in Martyrologio Donati cuiusdam ita proponebatur memoria, ut is in Vandalica persecutione sub Ursacio Duce[1]) et Marcellino Tribuno passus diceretur. Cui quidem loco medicando Baronius satis esse opinabatur, si, quod prudenter fecit, Marcellini nomen submoveret. Gravio autem textum pressius expendenti ista medicina haud sufficere videtur, quum et Ducem ipsum seu Comitem Ursacium et catholicum et Donatistarum cum Marcellino, quamvis non eodem simul tempore, hostem ac persecutorem fuisse, eoque nomine aeque illis ac Marcellinum exosum ex Optato[2]) et Augustino[3]) liqueat, nec sit cur cognominem ei Catholicorum persecutorem inter Vandalos cogitemus, quandoquidem in tota Victoris Vitensis sub Genserico et Hunnerico persecutionis historia Ducis alicuius tanquam legum regiarum executoris mentio non fit neque omnino Vandalicum, sed Romanum est hoc nomen procul dubio intelligendum de Duce limitis Africani, qui Romano praeesset militi partim ad fines tuendos, partim ad Afros in officio retinendos locis opportunis collocari solito. Quare non tantum Marcellini sed etiam Ursacii nomen tollendum esse censet Gravius. Verum vehementer metuit, ne non illud potius de Vandalica persecutione adiectitium sit, ad suspicionem de Catholico Ursatio et Marcellino removendam, praesertim cum eam partem nec Usuardus[4]) legat, ex quo tamen in Romanum Martyrologium videri queat Ursatii et Marcellini nomen irrepsisse: ut dicta haec de Donato intelligenda sint, vel Maiorini Carthagin. successore, quem ob exilium in quod missus fuit, martyrialis gloriae virum et appellare et celebrare Donatistae sunt soliti, ut ex Optato constat et Augustino,[5]) vel sane de Bagaiensi Donato, qui Circumcellionum manum adversus Paulum et Macarium Constantis legatos armavit, quem velut ab ipsis praecipitio necatum Donatistae itidem pro summo Martyre habuerunt, uti Optatus[6]) et Augustinus[7]) testantur. Hanc ergo germanam loci eius lectionem esse, sed a quopiam historiae valde imperito imperite adiectam quum habeat persuasum, Gravius totum quod de Donato in Martyrologio dicatur tanquam nothum et adulterinum existimat delendum nihilque eius in

vetustissimis Manuscriptis reperiri coniicit tam ex ipsa lectionis summa in excusis varietate quam ex Beda et Adone, apud quos istius argumenti ne vestigium quidem exstat. Judicii autem sui iudicem vicissim statuit Baronium, qui Gravii argumentis utique convictus in editione Plantiniana[8]) una cum Marcellino Ursacium submovit, Vandalicae persecutionis momentum resecuit et textum ex vetusto Martyrologio monasterii S. Cyriaci restituit.

---

[1]) „sub iudice Versatio“ Martyrol. Alexandri de *Peregrinis.*

[2]) Cfr. S. *Optati* Milevitani de Schismate Donatistarum Lib. III c. 10 (p. 160 ed. Oenipont. 1870): „Displicent vobis tempora nescio cuius Leontii, Ursacii, Macarii et ceterorum.“

[3]) Contra litteras Petiliani S. *Augustini* Lib. II cap. 92 (Opp. ed. *Migne* Tom. IX p. 324): „Periit (inquit Petilianus) Ursacius, cunctique Comites vestri, Dei pariter vindicta perierunt.“ Contra Cresconium Donatistam S. *Aug.* Lib. III. c. 30 (l. c. p. 514): „Sed postea, inquis, Ursacio et Zenophilo persequentibus“ etc.

[4]) *Usuardus* falsa aliqua et a Donatistis conficta historia deceptus, pseudomartyrem Donatum sub Ursacio et Marcellino passum scribit in Martyrologio, calendis martiis, in haec verba: „Eodem die s. Donati martyris, qui sub iudice (vel duce) Ursacio et Marcellino tribuno passus est.“ (Editores *Maurini* i. not. ad S. Augustin. contra Petilian. II, 92.)

[5]) Ad Donatistas post collationem S. *Augustini* Liber Unus cap. 16 (*Migne* IX, 664): „Donatum illum, quem dixerunt Ecclesiae Carthaginis ornamentum et martyrialis gloriae virum, sic commendare voluerunt, ut dicerent, quod apud imperatoris Constantini cognitionem, ipse reum et asseruerit et convicerit Caecilianum.“

[6]) De Schismate Donatistarum III, 6.

[7]) Contra litteras Petiliani II, 20.

[8]) Cal. Mart. p. 101.

XXXIV.

Temporum ordo postulat, ut eas inter Epistolas, quae omnes post absolutam Editionem Antverpiensem in manus Baronii devenerunt et ab ipso trutinatae plus minusve Recensioni a. 1598 profuerunt, etsi in nonnullis quae observantur adhuc habent respectum ad exemplar Romanum a. 1586, principem assignemus locum litteris Valentiae Hispaniarum d. 20. Martii a. 1589 in domo Praedicatorum a Fr. Vincentio Justiniano Antist conceptis.[1]) Theologus hic Dominicanus inter scriptores sui Ordinis haud ignobilis, tum quae in contextu Martyrologii, tum quae in Baronii

Notationibus difficilia videntur, summatim proponit. Ac primum quidem quinque Martyrologii loca Justiniano dubitationem iniiciunt. Quod enim

a) d. 18. Octobris S. Lucae Evangelistae ossa Constantinopolim translata et inde Patavium delata dicuntur, hoc parum solide affirmari putat, quatenus Cardinalis Bessarion in controversia inter coenobium Venetiarum B. Job et monasterium S. Justinae mota secus senserit et decreverit. Atvero constat, Patavinos causae suae, quam per provocationem apud Sedem Apostolicam prosecuti sunt, haud levia comperisse momenta iisque inniti sententiam, quam saltem indirecte Martyrologium Gregorianum in re ista quae saeculo XV perstitit iniudicata, pro Patavinis et contra Venetos tulit.[2]) Sin autem

b) octavo Kal. Novembr. SS. Chrysanthus et Daria commemorantur iussi a Numeriano Imperatore via Salaria in Arenario deponi atque illic viventes terra et lapidibus obrui,[3]) haud immerito Justinianus haesitans quaerit, quomodo id conciliari queat cum praefatorum Martyrum Actis etiam a Baronio relatis, quae conscripta traduntur a Verino et Armenio, presbyteris S. Stephani Papae multis annis ante Numeriani tempora a Valeriano Imperatore Martyris effecti.

c) D. 23. Novembris refertur S. Clementis Papae corpus Romam Nicolao primo Pontifice fuisse translatum. Econtra Anastasius Bibliothecarius Constantinum Philosophum Romam sub Hadriano iuniore Papa venisse Sanctique Clementis corpus sedi suae restituisse narrat. Anastasio autem tanquam oculato testi magis credendum esse ait Justinianus quam Breviario Polonorum[4]) tum IX. Martii in Cyrillo et Methodio, tum XXIII. Novembris in Clemente per Baronium citato, quod tamen dum SS. Cyrilli et Methodii opera corpus S. Clementis Romam fuisse delatum et in basilica S. Clementis reconditum innuit, etiam Martyrologio adversari videtur.[5])

d) Displicet Justiniano, tertio Nonas Decembris S. Lucium Angliae Regem confessorem appellari et in serie confessorum poni, quippe quem ex Ecclesiae Anglicanae Trophaeis Romae excusis arguat in Germaniam propagandae fidei gratia profectum et Curiae Episcopum factum, post lapidationem a furentibus Paganis occisum fuisse.[6]) Confessoris vero epitheton iam in editione Plantiniana est omissum.

e) Duodecimo Kal. Januar. quod dicitur B. Thomae Apostoli corpus Orthonae haberi, Justiniano considerandum esse videtur, an magis e re christiana esset id silentio praeteriri.

Laudat D. Augustinum, qui consultissime admonuerit, physicas quaestiones parum aut nihil ad mores pertinentes in Ecclesia non esse definiendas, ne gentilibus philosophis qui contrarias opiniones pro demonstratis habent, difficilior in Ecclesiam introitus fiat, si putent, se cum primum baptisma receperint, eas quas ipsi veras credunt opiniones abnegare debere. Eadem prorsus ratione de Abyssinis [7]) christianis, qui in latissimis Africae partibus interioribus habitant, quum imbiberint fere cum lacte eam existimationem, apud se D. Thomae Apostoli corpus conditum esse,[8]) praesumendum est, quod aegerrime se ferent, si Romanum Martyrologium admittant, continuo concessuros, illud quod perpetua parentum traditione ut S. Thomae corpus habuerunt, nihil minus esse quam quod semper existimarunt. Unde iuxta sententiam Justiniani melius foret in Martyrologio nullum omnino de ea re verbum facere, sed suum cuique iudicium relinquere liberum.

---

[1]) *Cod. Vallic.* Q. 47 p. 43 sq. (*Alber.* I, 191 sq.)

[2]) Cfr. *Spondanus* a. a. 1463. n. 7.

[3]) Fr. X. *Kraus,* Roma Sotterranea p. 340.

[4]) De veneratione utique habenda erga res quae in lectionibus Breviarii Romani referuntur, at una tamen cum permissione benigne indulta Eruditis difficultates excitandi non leves super iis quae in ipsis narrantur, disputans *Lambertinius* (De Serv. Dei beatif. L. IV. P. II. C. 18, 8): „Etsi," inquit, „in lectionibus quae recitantur die festo S. Clementis Papae et Martyris habeatur, eius corpus Romam translatum, Nicolao I. Pontifice, in ecclesia ipsius S. Clementis conditum fuisse, de hac tamen re disputari impune permittitur, sicuti legi potest in Opere Philippi *Rondinini* de S. Clemente et eius basilica, Romae edito a. 1706."

[5]) Cfr. *Hergenroether,* Photius Patr. v. Constantinopel. (Regensb. 1867) I, 536; II, 35.

[6]) Cfr. Forschungen und Quellen zur Kirchengeschichte der Schweiz. Von Al. *Lütolf.* p. 95 sq.

[7]) i. e. Indis; qui quidem usus Aethiopiae, Abyssiniae, Indiae nominum promiscuus sat multis erroribus ansam dedit, quatenus res et personae perperam aut confundebantur aut distinguebantur. Cfr. O. *Peschel,* Geschichte der Erdkunde (München 1865) p. 168. 210. 311.

[8]) Hieronymus *Osorius* episcopus Silvensis Lusitaniae lib. 3 res Indicas prosecutus, testatur Indos nuper recipientes Evangelium affirmare, penes se esse corpus S. Thomae Apostoli a quo olim acceperunt Evangelium, illudque usque hodie multis fulgere miraculis. Sed cum de translatione Edessam facta luce clarius constet; dicere de hoc cogimur, quod frequenter de aliis reperitur, nempe unius corporis partes in diversa loca distributas, occasionem dedisse multis opinandi, vel hîc vel alibi contineri unum idemque corpus. De translatione S. Thomae reliquiarum Ortonam facta, cuius hîc mentio habetur, exstat una cum vita eiusdem Apostoli,

eiusdemque miraculis libellus editus a Joanne Baptista Ortonensi. (*Baronius* in Annot. a. Martyrol. 3. Jul. ed. *Plant.* 1589. p. 294). Cfr. *Reusch* in: Kirchen-Lexikon von Wetzer u. Welte X, 911.

XXXV.

Praeterea idem quaerit, qua auctoritate d. 10. Januar. B. Nicanor apud Cyprum passus dicatur, quum Dorotheus in Synopsi, eum in persecutione quae D. Stephanum protomartyrem sustulit, passum testetur; inde autem Nicanorem Hierosolymis, non apud Cyprum consummasse martyrium colligit Justinianus, qui antiquiori Dorotheo palmam prae recentioribus Martyrologiis tribuit, memor regulae tritae: „Quo quis Apostolorum temporibus vicinior est, eo magis est aliis praeferendus, nisi apertissime erret.“ At qui tempore Diocletiani exilium passus et Synopsim de vita prophetarum et discipulorum Christi scripsisse fertur Dorotheus Tyrensis, eius nulla mentio invenitur apud Eusebium, S. Hieronymum, vel Gennadium, aut etiam Trithemium, qui scripserunt de viris illustribus. Synopsis vero ista fabulis plena[1]) et ideo minimi facienda citatur a Baronio, quem non fugit infirma eius auctoritas, in editione Plantiniana p. 21. Neque tamen Synopseos nec Martyrologii contextum accurate Justinianus examinavit, qui unum alteri opposuit. Nam etiamsi Dorotheo teste Nicanor eodem die quo S. Stephanus una cum multis occubuit martyrio, sane potuit contigisse — id quod unice textus Martyrologii insinuat —, in Cypro agi diem natalem S. Nicanoris ob sacrarum reliquiarum quae illic habentur translationem factam.

Miratur tandem Justinianus, in Romano Martyrologio, praetermissis quibusdam Sanctis solemniter canonizatis, haberi alios nondum ab Ecclesia solemni ritu divis adscriptos, imo et nonnullos, de quibus numquam Officium Ecclesiasticum fuit alicubi persolutum. Nec de nimium antiquis loquitur, sed de recentioribus, arbitrans ad S. Romanae Ecclesiae gravitatem pertinere, ut nullos toti mundo proponat, quos ipsa prius non absolute canonizaverit, aut eos saltem, de quibus ecclesiasticum officium persolvi iam ante concesserit.

---

[1]) Rob. *Bellarminus*, De Scriptoribus Ecclesiasticis. ed. Colon. Agrippin. 1657. p. 67.

[2]) Cfr. *Benedicti XIV.* Litterae Apostolicae de nova Martyrol. Edit. ad Joannem V. n. V. sq.

XXXVI.

Ab animadversionibus in textum Martyrologii Fr. Vincentius Justinianus ad censuram Notationum Baronii transit, quibus in perlustrandis decadem mendorum aut dubiorum indagavit. Emendationes a censore propositas fere omnes Martyrologii commentator in editione a. 1598 adoptavit.

B. Luciano Antiochenae ecclesiae presbytero et martyri (d. 7. Januar.) S. Helenam apud Drepanum basilicam erexisse et civitatem istam imperialibus munificentiis auctam Helenopolim appellasse negat Theologus Dominicanus perperamque citari asserit a Baronio Nicephorum (Hist. VIII. 31), qui potius Constantinum referat civitati nomen Helenopolis indidisse nec de ullo templo ab Helena in honorem S. Luciani erecto verbum faciat.

D. 28. Januar. legitur in Martyrologio: „Caesaraugustae sancti Valerii episcopi.“ Quum autem S. Valerius episcopus Caesaraugustanus reperiatur Concilio Illiberitano [1]) interfuisse, suborta est Baronio dubitandi occasio, num duo fuerint eiusdem nominis episcopi Caesaraugustani, quorum prior sederit temporibus Daciani sub Diocletiano et Maximiano Hispaniarum Praesidis, quando et eius diaconus S. Vincentius nobili martyrio triumphavit,[2]) posterior vixerit temporibus Constantini, sub cuius imperio dictam Synodum Eliberinam Baronius sumsit esse celebratam. Auxit ei Prudentius dubitandi occasionem, dum Peristeph. hymn. IV. agens de ecclesiae Caesaraugustanae martyribus, haec de Vincentio et Valeriis pluribus:[3])

Inde, Vincenti, tua palma nata est,
Clerus hic tantum peperit triumphum:
Hic sacerdotum domus infulata
Valeriorum.[4])

Unde adhuc in editione Plantiniana p. 54 Baronius: „Haec autem,“ inquit, „cum optimo iure dici posse videantur: tamen quia (ut accepimus) ecclesia Caesaraugustana non nisi unum cognoscit Valerium episcopum,[5]) ipsi consideranda relinquimus.“ Minus sobrie et nimis apodictice iudicat Justinianus, cui quum de primo Valerio ex actis S. Vincentii et de secundo ex synodicis actis constet, nihil curandum de clericis Caesaraugustanis

ac dicere unum et eundem Valerium fabula esse videtur, propterea quod ille prior Valerius Valentiam una cum D. Vincentio Martyre pertractus iam valde senex fuerit. Verum claudicat haec argumentatio ex concessis nequaquam concedendis. Num quidem duo vel plures in familia Valeria episcopi — id quod Prudentius certe innuit et salva Ecclesiae Caesaraugustanae exactum et perpetuum suorum episcoporum catalogum non habentis traditione defendi potest — an plures Valerii episcopi floruerint,[6]) affirmare non ausim nec magni ponderis est poetae opinio in disceptanda quaestione, utrum Valerius Caesaraugustanus qui interfuit concilio Eliberitano et cuius diaconus fuit S. Vincentius, unus idemque fuerit necne. Ferdinandi de Mendoza libri tres de confirmando concilio Illiberitano ad Clementem VIII. nondum lucem viderant, quum Notationes a Justiniano examinatas componeret Baronius hypothesin amplexus, eodem fere anno quo Nicaenam esse habitam synodum Illiberitanam, cuius momenta chronologica demum postea subtilius explorata et rectius definita sunt. Sin autem sententia eorum qui Concilium Eliberinum in annum 305 vel 306 esse referendum tuentur, maxima probabilitate se commendat, non fabulae fidem tribuimus nec veritatem historicam deserimus censentes Valerium in actis S. Vincentii nobis obvium a Valerio in documentis Illiberitanis commemorato haud diversum.

---

[1]) *Hefele,* Conciliengeschichte I, 122 sq.

[2]) *Ruinart,* Acta Martyrum ed. *Ratisbon.* p. 400 sq.

[3]) Aurelii *Prudentii* Clementis Carmina rec. *Obbarius.* Tubing. 1845. p. 220. *Gams,* Kirchengeschichte von Spanien I, 320 sq.

[4]) d. h. der Clerus von Saragossa, das Haus der Valerier (d. i. die Angehörigen des Bischofs Valerius) hätten sich so standhaft gehalten, und solche Triumphe errungen. Darin liegt jedoch nicht, dass Valerius selbst hingerichtet worden sei. Auch durch sein Exil nahm er an dem Triumphe Theil. (*Hefele* l. c. p. 128 n. 2.)

[5]) Cfr. quae ex breviario Caesaraugustano ed. a. 1572 *Bollandiani* (Acta SS. ad d. 23. Januar.) proferunt verba: „Et pietate et doctrina insignis Valerius ex consulari Valeriorum turba, teste Prudentio, Caesaraugustae ortus est."

[6]) Cfr. *Arevalus* in Prolegomenis nn. 31. 32. 58 et in Commentar. ad Peristeph. ed. *Migne* p. 366 sq. („Possit dubitari an Prudentius domum infulatam Valeriorum vocet etiam quia in ea familia saepe erat unus aliquis flamen apud Romanos: in cuius nummis insigne cernitur apex sacerdotalis in egregia collectione nummorum reipublicae Romanae apud cl. baronem Alminusae Alexandrum Recuperum Catanensem, qui novum de asse Romano systema proferet in lucem.")

XXXVII.

Tertio loco ad Non. April. („Venetiae in Britannia minori S. Vincentii confessoris cognomento Ferrerii“ etc.) Justinianus, qui suam D. Vincentii Vitam iussu Consulum Valentinorum ex Processu Canonizationis collectam et a. 1575 typis mandatam allegat, iure monet Ferrerii annum mortis 1418 in 1419 esse mutandum causamque communis erroris derivat ex more Gallicano computandi annos a die Paschatis, quo fiat, ut quod a. 1419 ante Pascha acciderit, in Gallia a. 1418 factum dicatur. Vincentium autem d. 5. April. feria quarta ante Dominicam Palmarum migrasse ad Christum, ex Processu Canonizationis neque minus, anno 1418 festum Paschatis mense Martio fuisse celebratum, ex Computo liquet; at anno 1419 Pascha in diem 16. Aprilis incidisse et die 5. eiusdem mensis feriam quartam ante Dominicam in Ramis Palmarum fuisse constat.

Commemoratio ss. martyrum, qui sub Nerone Imperatore de Urbis incendio per calumniam accusati, diverso mortis genere ab eo iussi sunt saevissime interfici (Octavo Kal. Jul.), Baronio ansam dedit ad annotandum, quod etiam gentiles historici, Tacitus, Suetonius, Dio falsas Neronis in Christianos calumnias in ipsum retorqueant; verum non Sabinus Flavius, quem citat Baronius, sed Subrius Flavius, quem recte substituit Justinianus,[1]) fuit unus ex coniuratis contra Neronem, qui incendium istud imperatori exprobrare non timuit.[2])

Praeter Verum Viennensem, qui Arelatensi Concilio sub Constantino interfuit, alterum S. Verum Episcopum Viennensem (Martyrol. Cal. August.) multo antiquiorem claruisse, ex Pii Papae Primi secunda ad Justum epistola[3]) arguit Justinianus nec id negat Baronius, imo iam in recensione Plantiniana a. 1589 p. 339 tres eius nominis reperiri ait Viennenses episcopos, quorum tertius ab Adone ponitur sedisse a. D. 583 numeraturque vigesimus sextus Viennensis sedis episcopus.

Ad d. 6. August. („Romae via Appia in coemeterio Callisti natalis beati Xysti secundi Papae et martyris“ etc.) scholion quod asserit, de reliquiis S. Xysti Papae in Angliam a se missis S. Gregorium in Registr. agere, improbat Justinianus. „Quum,“ inquit, „tam Sixtus Primus quam Secundus fuerint Martyres, qua ratione applicas ad Sixtum Secundum, quod scribit D. Gregorius

in responsione ad nonam interrogationem;[4]) quum solum dicat Sixtum Martyrem, non distinguens inter Primum et Secundum. Quid, quod nec Papam addit, et forte erat alius D. Sixtus Martyr.“ Haec exceptio plane solida non potuit Baronium non impellere ad retractationem; quod pridem pro certo affirmaverat, in dubium revocavit thesinque in hypothesin mutavit.

---

[1]) Cfr. *Taciti* Annal. Lib. XV, 49 sq.

[2]) Odisse coepi, postquam parricida matris et uxoris, et auriga et histrio et incendiarius exstitisti (l. c. XV, 67).

[3]) Cfr. Sev. *Wenzlowsky*, Die Briefe der Päpste etc. Kempten 1875. I, 229 sq.

[4]) Obsecratio Augustini. Obsecro, ut reliquiae sancti Sixti martyris nobis transmittantur. Concessio Gregorii. Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam sancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuae fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat etc. (S. *Gregorii* M. Epistolarum Lib. XI. Ind. IV. Ep. 64. ad Augustinum Anglorum Episcopum. Opp. ed. *Migne*. Par. 1849. III, 1193.)

XXXVIII.

S. Bononium abbatem migrasse ex hac vita a. D. 1026 eiusque sanctitatem probasse Joannem Papam vigesimum Baronius, cum Surio secutus Sigonii auctoritatem, in Not. ad d. 30. August. quod scripsit et Justinianus corrigendum duxit, id deinceps correctum est. Nam si Bononii acta testantur, ipsius approbationem paucis post mortem diebus factam esse per Papam Joannem, hoc (iuxta vulgarem numerandi eius nominis Pontifices usum) Joanni XIX. erit vindicandum, quo regnante Bononius obiit.

Decimoseptimo Kal. Novembr. sanctorum Martiniani et Saturiani cum duobus eorum fratribus tempore Vandalicae persecutionis sub Geiserico a S. Maxima virgine ad Christi fidem conversorum ita fit mentio, ut in compendium redacta sit narratio Victoris Vitensis[1]) simulque horum eiusdem habeatur ratio verborum specialis: „Mittunt legatos per itinera distenta deserti; pervenitur tandem ad civitatem Romanam; rogatur episcopus, ut presbyterum ac ministros credenti populo destinaret. Explet cum gaudio quod petebatur pontifex“[2]) etc. Ad consulendum autem integritati Romani Martyrologii adversus quascunque

calumnias, Baronius contextui commentarium solito uberiorem subiunxit, in quo ex testimoniis Victoris et aliorum certam exploratamque reddi ostendit veram sinceramque Africanae Ecclesiae cum Romana communicationem numquam interruptam vel intercisam, necnon technam detegit et aperit imposturam Isidori Mercatoris, qui nomine Bonifacii Papae secundi ad Eulalium episcopum Alexandrinum epistolam[3]) confinxit, qua dicitur, a temporibus Bonifacii et Caelestini Romanorum Pontificum Africanam ecclesiam opera Aurelii episcopi Carthaginensis schismate divisam esse ab Ecclesia Romana nec ulterius illi communicasse usque ad tempora Bonifacii Papae secundi, quando Eulalius episcopus Carthaginensis pro ineunda concordia et recuperanda Romanae Ecclesiae communione libellum supplicem[4]) praedicto Bonifacio obtulerit ac sic ad communionem redierit.[5]) Attamen latissimam Baronii de Episcoporum Carthaginensium fide et in Sedem Apostolicam obedientia adnotationem legenti et Victoris de legatione ad Romanum Pontificem missa relationem consideranti Fr. Vincentio Justiniano occurrit dubium sic expressum: „Si tunc in illa Provincia erant Episcopi et Presbyteri catholici, et non schismatici; quid necesse fuit Romam pro Presbytero ad Gentiles illos baptizandos mittere?"; qui quidem nodus a Baronio in Annalibus[6]) optime est dissolutus.

S. Melanium (22. Octobr.) fuisse secundum sedis Rothomagensis episcopum a. 265 subrogatum S. Nicasio, quem illuc missum a Clemente Rom. Pontifice declarant tabulae eius ecclesiae (Mart. a. d. 11. Octobr.), haud immerito videtur incredibile Justiniano.

Denique idem cum Surio parum convenire censuraque dignum existimat, quod asseritur (M. a. d. 4. Novembr.) Emericus inter Sanctos relatus esse una cum S. Stephano Hungarorum rege eius patre a Benedicto Papa octavo, qui dictus est nonus; quamvis Surii, qui non de canonizatione sed de elevatione corporum SS. Stephani et Emerici loquitur, auctoritas haud sit irrefragabilis.

---

[1]) *Victoris Vitensis* Historia Persecutionis Africae Provinciae Lib. I. c. 10 sq. ed. Paris. 1847. p. 193 sq.

[2]) l. c. c. 11. p. 196.

[3]) *Isidori Mercatoris* Decretalium Collectio ed. *Migne*. Par. 1853. p. 1065 sq. Epistola Bonifacii Papae ad Eulalium Alexandrinum episcopum de reconciliatione Carthaginensis Ecclesiae directa. „Olim et ab initio" etc.

[4]) Exemplar precum Eulalii et Justini principis Orientis. „Prima salus est" etc. Dat. octavo Kalend. Octobris, Valentiniano II. et Oreste IV. consulibus (l. c. p. 1066 sq.)

[5]) Ecce in quod discrimen unus Isidorus Mercator, illarum epistolarum collector, res nostras adduxit: ut ea ex parte periclitari videatur Ecclesia, si quae ipse collegit vel potius effinxit, firma certaque esse dixerimus. Testimonium illi perhibeo (utar verbis Apostoli) quod zelum habuit, sed non secundum scientiam; ut quia sibi visa est paulo ardentior altercatio Aurelii episcopi Carthaginensis, Augustini et aliorum Africanorum episcoporum cum Bonifacio et Caelestino Romanis Pontificibus in causa Apiarii presbyteri; ea epistola nomine Bonifacii conficta, sarciendum, quod scissum putabat, existimavit. Facessant haec: non innititur vel fulcitur paleis Dei Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis. (*Baron.* i. Martyrol. Plantin. ed. a. 1589. p. 458.)

[6]) Tom. VI. a. a. 456. n. 14.

XXXIX.

Hieronymus de la Higuera, Societatis Jesu presbyter non indoctus at nimis credulus, cuius nomen cum Dextro Paciani apocrypho [1]) connexum esse nemo historiae litterariae gnarus nescit, Martyrologio Gregoriano a. 1586 excuso mirifice delectatus, in litteris Oxamae [2]) Calendis Aprilis a. 1589 datis Baronium obtestatur, ut nonnullos Sanctos praetermissos in Martyrologium referri curet. Praeter Constantiam Magni Constantini filiam in Missali Ambrosiano commemoratam [3]) Higueras patrocinatur infanti quadrimo Joanni cognomento Christophoro a Judaeis a. 1490 ipso die Parasceves crucifixo ac D. Seculinae in Albigensi oppido natae, Gravesci Comitis Pictonum filiae, miraculis clarae et d. 23. Julii in ecclesia Abulensi celebratae. Ad S. Obduliam Toletanam (5. Septembr.) quod attinet, eam unam eandemque esse putat cum S. Odilia virgine ex numero sodalium S. Ursulae. Eius autem quod de S. Wilgeforti Lusitana cupiebat, compotem se iam in editione Plantiniana a. 1589 p. 318 potuit videre. Porro causam tuetur S. Liberatae non quidem Comensis in Martyrologio haud omissae (Quintodecimo Kal. Februar.), sed sororis SS. Quiteriae, Basilicae et aliarum quas genuit C. Attilius Lusitaniae Regulus et (dummodo tabulis ecclesiae Pampilonensis fides sit habenda) consanguineus Imperatoris Juliani. Huius S. Liberatae Virginis et Martyris corpus in templo episcopali ecclesiae Seguntinae in superbo Mausoleo conditum asservari et frequenti fidelium observatione coli narrat. Denique sancti Latronis (qui in cruce Christum confessus ab eo meruit audire: Hodie mecum eris in paradiso) commemoratio

octavo Kal. Aprilis in Martyrologio facta displicet Higuerae, qui sua computandi ratione quam praedicat manifestam inductus S. Latronis festum statuit cadere in 26. diem Martii, quatenus quo anno Christus passus sit, Pascha in 28. Martii inciderit ac proinde dies Parasceves fuerit d. 26. m. Martii.[4])

---

[1]) Cfr. Patrolog. Curs. compl. ed. *Migne*. Ser. Lat. T. XXXI. Par. 1846. p. 25 sq. Dionysius Petavius. Von *Stanonik*. Graz 1876. p. 50.

[2]) Mendosa est scriptura („Occaniae") Raym. *Albericii* (III, 164).

[3]) Cfr. S. *Ambrosii* Mediol. Opp. ed. Par. 1845. T. II. Pars post. p. 742 (Epist. I inter Epistolas ex Ambrosianarum numero segregatas): „Perseveravit ipsa Constantia Augusti filia in virginitate, per quam multae virgines et mediocres et nobiles et illustres sacra velamina susceperunt." Quam vero — inquiunt editores Benedictini — hoc vanum ac futile sit, ex Hieronymi cognoscitur testimonio, ubi sic ait (Epist. de laudibus Marcellae): „Nulla eo tempore nobilium feminarum voverat Romae propositum monachorum, nec audebat propter rei novitatem ignominiosum, ut tunc putabatur, et vile in populis nomen assumere." Ergo si cui Ambrosio tribuenda erit haec epistola, censuram amplectemur Joannis Bandini ad marginem eiusdem epistolae in Vaticano codice exaratam, unde eam amica manu descriptam habuimus in haec verba: „Non est Ambrosii Mediolanensis, sed alterius cuiusdam Ambrosii monachi, qui hunc sermonem Graece scripsit. Exstat in bibliotheca Vaticana, et postmodum in Latinam linguam conversus est ab alio."

[4]) Cfr. *Friedlieb*, Gesch. des Lebens Jesu Chr. m. chronolog. u. and. histor. Untersuchungen. Breslau 1855. p. 132 sq. *Zedler*, Chronologische Splitter. D. Piekar 1878. p. 12 sq.

XL.

Omnium instar unum allegavi Hieronymi de la Higuera documentum epistolare repraesentans speciem litterarum in causa Martyrologii ad Baronium missarum, de quibus iuvat in medium proferre verba Benedicti XIV. haec. „Ut sacrae" — inquit Summus Pontifex [1]) — „eruditionis ac Theologicae facultatis studia magis excolantur, instituimus Academiam quavis feria secunda cuiusque hebdomadis coram Nobis habendam, ut quotquot ad eam conveniunt docti ac praestantes viri, stata vice atque ordine suas sive de Ecclesiastica Historia sive de re Liturgica sive etiam de Sacris Canonibus ac Theologicis controversiis proferant lucubrationes. Ex his nonnulli, qui soluto conventu ad privata colloquia a Nobis admittuntur, Nobis signi-

ficarunt, inter cetera Manuscripta, quae in insigni Bibliotheca Vallicellana servantur, plura esse splendida quidem monumenta ad Venerabilem Virum Cardinalem Baronium transmissa, quibus probatur, aliqua Sanctorum nomina in Romano Martyrologio immerito fuisse praetermissa;[2]) ideoque, eodem Baronio iudice, in novam Martyrologii Editionem, quando eam fieri contingeret, esse transferenda. Indicium hoc de invento thesauro libenti animo excepimus. Hinc, nulla interposita mora, chartas et monumenta omnia ad Nos deferri curavimus, evolvimus, inspeximus; sed, contra praeconceptam exspectationem nihil aut fere nihil ad rem hanc opportunum adinvenimus. Imo vero, quod peculiari admiratione dignum est, tantum abest ut egregius ille Cardinalis propensior fuerit ad inserenda in novam Martyrologii Editionem Sanctorum illorum nomina, ut potius, sicut e brevioribus quibusdam notis ab illo additis licuit arguere, in oppositam sententiam descendere videatur. Enimvero scite animadvertit, nominum illorum seriem aut solos Dei Servos comprehendere, quorum cultus angustis peculiarium locorum finibus continetur, aut sub latiori Sanctorum titulo Beatos duntaxat attingere, quorum nomina Romano Martyrologio accenseri non solent.“

---

[1]) *Benedicti XIV.* Litterae Apostolicae de nova Mart. Rom. editione ad Joannem V. n. XIV.

[2]) Hortante Federico Cardinali Borromaeo Archiepiscopo Mediolanensi, Philippus *Ferrarius* Ordinis Servorum B. Mariae Virginis catalogum generalem Sanctorum, qui in Martyrologio Romano descripti non sunt, edidit a. 1625. (Prosp. de *Lambertinis* De Serv. Dei Beatif. L. IV. P. II. cap. 17. n. 7.)

XLI.

In adnotatis ad ea quae Nono Kal. Octobr. in Martyrologio de S. Thecla habentur,[1]) Baronius quemadmodum Acta Pauli et Theclae a presbytero Asiatico conficta cum Tertulliano,[2]) Hieronymo,[3]) Gelasio[4]) inter apocryphas scripturas computat, ita cum iis neutiquam concinit, qui incaute nimis omnia quae de Thecla reperiuntur scripta, tanquam minus probata, putant esse reiicienda, nullum ponentes discrimen inter vera certaque et ambigua vel falsa. Unde in his laborat, ut pretiosum a vili et sancta a profanis distinguens, quae improbata atque reiecta,

quaeve sincera atque recepta de sancta martyre dicta exstent, in medium adducat. Periodis autem Pauli et Theclae commentitiis opponit quam prae manibus habuit Theclae passionis historiam[5]) eamque sat multis SS. Patrum testimoniis fulciri ostendit. Vitam etiam citat S. Theclae auctore Basilio episcopo Seleuciae[6]) asservatam in bibliothecae Sfortianae codicibus mscr. 45 et 81: „quam ipsam" — ait[7]) — „in Latinum a se redditam proxime editurus est D. Rolandus Vincleius[8]) Belga, alumnus R. D. Lindani episcopi Ruremundensis, nunc autem Ill. ac Rev. Augustini Valerii episcopi Veronensis S. R. E. Cardinalis, Graecorum eruditus interpres." Hunc igitur Rolandum Vincleium promissis de evulgando Basilii Seleuciensis Episcopi commentario stare voluisse, ex duabus ipsius liquet ad Baronium epistolis, quarum unam Madriti Idibus Junii 1589, alteram Veronae VIII. Kal. Mart. 1591 exaravit. In litteris quidem Madritensibus lucubrationi, si quando a re pecuniaria paratior foret, emittendae plurimum lucis afferre posse innuit quae de D. Thecla ab Eusebio scriptis commendata in Escuriaco asserventur,[9]) et ex re futurum iudicat, si Baronius vel suam auctoritatem apud Garciam de Loaisa[10]) interponat vel commendationem Cardinalis Aldobrandini impetret ad laborem istum iuvandum. Biennio autem post Vincleius Baronium per alteram epistolam Veronensem reddit certiorem, se tandem perpolivisse Basilii de Thecla commentarium atque a sexcentis mendis et oblivionis iniuria vindicatum ita pristino nitori restituisse, ut nec usquam ne latum quidem unguem ab auctoris sensu discesserit. „Tuum erit" — ita alloquitur Baronium — „quod te auctore meaque industria e tenebris erutum est, ut utilitas aliqua ad posteritatem manet, tua auctoritate, gratia, commendatione typis excusum varias in orbis partes emittere; ut quod semel ornandum suscepisti, omni beneficii genere abs te cumulatum in lucem exeat."

---

[1]) Iconii in Lycaonia sanctae Theclae virginis et martyris, quae a sancto Paulo Apostolo ad fidem perducta, sub Nerone imperatore in confessione Christi ignes ac bestias devicit, et post plurima ad doctrinam multorum superata certamina, Seleuciam veniens, ibi requievit in pace: quam sancti Patres summis laudibus celebrarunt.

[2]) De baptismo cap. 17: Quodsi quae Pauli perperam scripta sunt exemplum Theclae ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt, sciant in Asia presbyterum qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse loco decessisse. (Opp. ed. Fr. *Oehler*. Tom. I. Lips. 1853. p. 636 sq.)

[3]) De scriptoribus ecclesiasticis cap. 7: Igitur περιόδους Pauli et Theclae, et totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut individuus comes Pauli, inter caeteras eius res hoc solum ignoraverit? Sed et Tertullianus vicinus eorum temporum refert presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli, convictum apud Joannem, quod auctor esset libri, et confessum se hoc Pauli amore fecisse, et ob id loco excidisse (ed. *Helmst.* 1611. p. 3b).

[4]) Decret. de recipiendis et non recipiendis libris etc. (Epist. Rom. Pontif. ed. *Thiel.* I, 464.)

[5]) Cfr. Acta Apostolorum apocrypha ed. *Tischendorf.* Lipsiae 1851. p. 40 sq. Revue Critique d'Histoire. Par. 1878. p. 135.

[6]) *Fessler,* Inst. Patrolog. Tom. II. Oenipont. 1851. p. 747 sq. De ratione mutua inter auctorem anonymum τοῦ μαρτυρίου τῆς ἁγίας Θέκλης, qui multa ex fabulatore Asiatico hausisse videtur, et *Basilium Seleuciensem,* cui acta S. Theclae quae etiamnum supersunt, praeluxerunt cfr. *Tischendorf* l. c. Prolegom. p. XXI sq. et *Bolland.* Acta SS. mens. Septembr. tom. VI. p. 546 sq.

[7]) Martyrol. Plantin. a. 1589 p. 425.

[8]) non „Winchelius", quemadmodum legitur ap. *Alberic.* III, 165. 176.

[9]) Agitur de *Eusebianis* Martyrum Libris, quos in Indice bibliothecae Philippi Hispaniarum regis apud S. Laurentium in Escuriaco notatos se a. 1579 vidisse testatus est *Lindanus*, quum Romae recognosceret Baronii in Martyrologium Notationes. („Ex libris martyrum, quos Eusebius Caesariensis se scripsisse testatur, tres nondum de Graeco versos in bibliotheca Philippi Hispaniarum Regis piissimi apud S. Laurentium in Escuriaco exstare nobis loquitur Index eiusdem; quem Catholica Maiestas nobis ad unam aut alteram noctem devorandum singulari benevolentia permisit, anno 1579. cum eousque exilii, quod civile bellum ab haereticis excitatum tertio inflixerat, solandi causa ex Belgio per Italiam et Galliam pervenissemus. In eodem indice S. Athanasius de vita sanctae Theclae nobis lectus est, de quo, ut et de illis Eusebii de SS. Martyribus Latine convertendis, egi prolixe cum doctissimo viro D. Cosma Fontaeo Regio Graecorum interprete, ut absoluta Photii bibliotheca tunc ad amussim fere expressa, nobis illas sanctorum martyrum et in primis sanctae Theclae coronas in lucem refunderet: de quo et nunc statui ad ipsum Regem ante discessum scribere, ut habeas unde aureas illas S. Theclae atque illorum sanctorum martyrum historias exornatiores et copiosiores reddere queas.") At ἡ καθ' ἡμᾶς Θέκλα Eusebii (De Martyribus Palaestinae c. 3. Euseb. Pamphil. Hist. Eccl. rec. H. Laemmer. Scaphus. 1859 sq. p. 671) una cum Agapio d. 19. August. in Martyrologio memoratur.

[10]) collectorem Conciliorum Hispaniae, a Philippo II. studiis unici filii Philippi III. praefectum. Cfr. *Alberic.* I, 284. 383 sq.

XLII.

Gemina est quaestio, de qua Nicolaus Serarius (Societatis Jesu philologus atque interpres S. Scripturae egregius[1]) necnon de historia ecclesiastica Germaniae Epistolis S. Bonifacii luce donatis ac libris rerum Moguntiacarum quinque meritissimus)[2]) in litteris Herbipoli 4. Kal. Octobris 1589 datis[3]) Baronium interpellat. Ubi enim quae in Martyrologio nobis septimo Kal. Maii occurrunt verba: „Romae Litaniae maiores ad sanctum Petrum" interpretatur, Baronius etsi inexploratum sibi esse fatetur, a quo Litaniae primum fuerint institutae, vetustissimum tamen morem fuisse in Ecclesia litanias peragere pro certo habet, quum quoad ecclesiam orientalem S. Basilius in epistola 63. ad Neocaesarienses tradat, in ea ecclesia in usu fuisse Litanias temporibus S. Gregorii cognomento Thaumaturgi. At Serarius Basilios Graecos et Latinos, quos ipse inspexerit, contrarium prorsus affirmare obiicit nec absone quod summis quandoque viris accidit *μνημονικὸν ἁμάρτημα* coniicit. Quodsi autem Baronius in Not. a. d. 9. Octobr. („Lutetiae Parisiorum natalis sanctorum martyrum Dionysii Areopagitae episcopi" etc.) S. Maximi monachi adversus Monotheletas Ecclesiae propugnatoris vestigia sequens Eusebium Caesariensem idcirco D. Areopagitae operum mentionem nullam fecisse insinuat, quod apertissime Filii divinitatem sanctissimamque Trinitatem asseruerit, cui Eusebius iniquior fuerit,[4]) hanc plane causam ex affectato Eusebii silentio petitam Serarius probabilem et quae nonnullis faciat satis concedit; verum quum tot alii tamque insignes eiusdem sacrosanctae Trinitatis assertores ab eodem Eusebio commemorentur summisque ornentur laudibus, veretur ut ista ratio et coniectura satis firma sit. Exin perveterem attingit Martyrologii codicem Graecum foliorum 137, quem Joannes de Ragusio Cardinalis tituli S. Sixti Basileae, quum Synodo inibi habitae interesset, reliquit. Dubitans vero an eius similem aliquo in pluteo Baronius invenerit, exempli causa Serarius ponit unam de Sancta Catharina historiolam ex libro Basileensi descriptam hancce: *Αὕτη (ἡ ἁγία μάρτυς Κατερίνη) ὑπῆρχεν ἐξ Ἀλεξανδρείας τῆς πόλεως, βασιλίσκου τινὸς θυγάτηρ τοὔνομα Κάστου, μέγεθος ἅμα καὶ κάλλος ἔχουσα σώματος εἰς ἄκρον ἐκπαιδευθεῖσα πᾶσαν ἑλληνικὴν καὶ ῥωμαϊκὴν παιδείαν, καὶ τοῖς κατὰ ἰατρικὴν φιλοπονήσασα συγγράμμασι, καὶ φωνὰς ἑτερογλώσσους πολλῶν ἐθνῶν*

ἐκμαθοῦσα. διὰ δὲ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν ἐπὶ τοῦ βασιλέως Μαξεντίου πολλῶν βασάνων πεῖραν λαβοῦσα τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, καὶ τοῦ μαρτυρίου στέφανον δέχεται. Caeteroquin epistolae suae libellum variarum in plurimas Sanctorum res gestas notationum, quas Joannes Latomus Francofurti Decanus Breviario Moguntino iam pridem attexuerat, Serarius apposuit, ut Baronius, si forte in iis de aliquo Germaniae martyre aut Sancto alio esset quod usui esse posset, eo non careret.

---

[1]) K. *Werner*, Gesch. d. kath. Theologie. Münch. 1866. p. 43.

[2]) Cfr. *Serarii* Praefatio ad suam Epistolarum S. Bonifacii recensionem (Patrol. Curs. compl. ed. *Migne*. Ser. lat. T. 89. Par. 1850. p. 671 sq.). Vitae S. Bonifatii ed. *Jaffé*. Berol. 1866. Praef. p. 5. 8. Monumenta Moguntina p. 15. Joh. Fr. Böhmer's Briefe. Durch Joh. *Janssen*. I. Freib. i. Br. 1868. p. 525.

[3]) Raym. *Alberic*. I, 198 sq.

[4]) Rogatus aliquando causam a disertissimo atque amplissimo viro, cur nec S. Hieronymus vel Eusebius, quorum praecipuum fuit studium rerum ecclesiasticarum scriptores colligere, Dionysii Areopagitae meminerit? Respondi: Quod ad S. Hieronymum spectat, non est quod quis miretur, cum ille eos solum cognoscatur collegisse antiquos scriptores, quos ab Eusebio invenisset recensitos, illosque tantum addidisse, qui post Eusebii tempora claruere; profitetur enim hoc idem ipse in commentarii praefatione ad Dextrum. Si enim hunc vel alios ab eo praetermissos novisset; haud dubium, de iisdem agere haud desivisset. Itaque tota iam quaestio cum de Eusebio esse videatur, res non est propterea in eo periculo constituta, ut causa cadere sit necesse, unius tantum non dicam testantis sed silentis hominis testimonio. S. Maximus monachus adversus Monothelitas egregius Ecclesiae propugnator de his agens, clamosum Eusebii silentium affectatum nimis ac dolo malo simulatum demonstrat; dum affirmat Dionysii Areopagitae commentarios iam olim notos fuisse Dionysio episcopo Alexandrino, eosdemque ab eo fuisse scholiis illustratos; adducitque in eius rei testimonium Anastasium episcopum Antiochenum ἐν τῷ ὁδηγῷ. Numerat idem S. Maximus alios antiquos theologos, quorum scriptorum nulla ab Eusebio facta est mentio; ut librorum Narcissi, Hymenaei et aliorum, quos tamen putandum est illum non praeteriisse, cum locupletissimae bibliothecae Pamphili martyris factus sit haeres; sed Arianum hominem haeretica fraude illos occultasse: nam Arianorum vexillarius (sic enim eum appellat S. Hieronymus) auctores illos prodere timuit, quibus Ariana haeresis sterneretur. Quaenam ab Arianorum insidiis salva esse potuerunt; si eorum perfidia etiam Nicaeni canones naufragium passi sunt? Sed ut modo de scriptoribus ecclesiasticis agamus, unum tantum de ea re adducam exemplum. Quaenam, quaeso, fuit causa, ut theologorum antiquorum celeberrimum Theognostum Eusebius silentio praeterierit, nisi quod sciebat eum Arii dogmatibus adversari? . . Videant ergo, quam firmo nitantur argumento, qui affectatum Eusebii silentium contra Dionysii commentarios in testimonium adducunt. (Martyrol. Plantin. a. 1589 p. 449.) Caeterum *Baronii* de quaestione Dionysiana iudicium fere idem

est ac sententia Matthaei *Galeni* editoris Areopagiticorum (Colon. 1563). Argumentum autem ex Dionysii Alexandrini scholiis ab Anastasio Sinaita (Ὁδηγός ed. *Gretser.* p. 340: *ὁ γοῦν μέγας Διονύσιος, ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ὁ ἀπὸ ῥητόρων, ἐν τοῖς σχολίοις κτλ.*) petitum et a Maximo repetitum nihil probare Franciscus *Hipler* (Dionysius der Areopagite. Untersuchungen über Aechtheit und Glaubwürdigkeit der unter diesem Namen vorhandenen Schriften. Regensburg 1861. p. 120) ostendit: „Dasz dieser Scholiast des Areopagiten der um 265 verstorbene Erzbischof von Alexandrien nicht sein kann, wie noch jüngst wieder *Darboy* (Oeuvres de S. Denys l'Aréopagite traduites du Grec avec une introduction. Paris 1845) behauptet hat, geht schon daraus hervor, dasz dieser letztere niemals Rhetor gewesen" etc. Cfr. etiam *Dittrich*, Dionysius der Gr. v. Alexandrien. Freib. i. Br. 1867. p. 2 n. 3.

XLIII.

Prolixae admodum sunt duae epistolae, quas Joannes Soria ex Granatensi Collegio annis 1591 et 1592 [1]) ad Baronium direxit. Prior, ad quam rescripsit Baronius,[2]) quindecim quaestiones chronologicas et historicas complectitur dissolvendas; posterior triginta quinque exhibet Coniectanea aut Adversaria iam pridem a Soria in suae memoriae subsidium sic scripta, ut quae digna viderentur interrogatione colligeret. Plurima quidem dubia, quippe quae ad Annales spectent, facimus missa;[3]) neque tamen pauca exstant momenta Martyrologica, de quibus Soria Baronium consulit, a nobis perstringenda. Eiusmodi trias in priori epistola se offert haec:

a) Ambigit Soria, an fidem mereatur ea historia, quae in S. Ignatii Martyris corde dulcissimum Jesu nomen inscribit. Apud Graecos Eusebium, Evagrium, Metaphrasten, Nicephorum haud ignorat de illa altum silentium, quin et Latinorum antiquiores ne verbum quidem de ea, quae recentiores tantum invenit patronos Antoninum aliosque. Solus Ado qui in Martyrologio Ignatium a leonibus strangulatum, non discerptum in partes dicit, coniecturae locum relinquere videtur, ut probari possit in recens occisi corpore istud experimentum forte a militibus desumptum. Id Soria inde confirmare conatur, quod S. Joannes Chrysostomus, Graecorum Menologium et Martyrologium Romanum (Sextodecimo Kal. Januar.)[4]) ipsius Divi Corpus, non reliquias et maiora corporis ossa, Roma Antiochiam fuisse delatum asseverent. Baronius autem quod pauci post mille trecentos annos absque aliqua antiquiori fide de nomine

Jesu in corde S. Ignatii reperto tradidere, cum et eidem assertioni alia plura obstent, hoc in ea qua assertum est fide, penes suos auctores scientes volentesque relinquere sat habet.

b) Miratur Soria, cur Baronius ad diem 17. Decembris[5]) non meminerit traditionis ab Epiphanio indicatae, Lazarum scilicet trigesimo aetatis anno ad vitam Christi Domini imperio revocatum, perque idem spatium supervixisse, ut veritatem miraculi, vita tanto tempore superstes, comprobaret. At nemini id mirum videri potest, qui criticum novit acumen ac circumspicientiam Baronii sub finem suarum ad Soriam litterarum inquientis: „In messe feliciter agi, si messori contingat perpaucas tantum easdemque pertenues relinquere post se spicas; sed felicius quidem, si alligando manipulos, steriles avenas vel zizania ipse procul excusserit. Abundat nostrum saeculum Aristarchis atque Pyrrhonibus, qui cum inter legendum offendant quodpiam apocryphum, mox illud inclament. Homo iste delectum non habuit, hoc unum illi studium, ut nihil omnino, cuncta consarcinando, relinqueret: sagena vere haec illa est, ex omni genere piscium congregans: prudentius egisset, si consedisset in littore, et bonos tantum pisces in vasa, eiectis reliquis, posuisset. Audivi haec, et ab eruditis quidem viris de aliis, didicique alieno periculo cautus esse. Si quis aliter sentit vel facit, non invideo, abundet unusquisque in sensu suo.“

c) Quaerit Soria, probatae ne sit auctoritatis et fidei, quod Jacobus frater Domini, cuius in Martyrologio Calendis Maii[6]) fit mentio, claudus iam inde redditus fuerit, ex quo Saulus Jacobum adortus in templo, e summis altaris gradibus deturbarit et accepto in reliquos discipulos accenso ligno cuncta vocibus compleverit, propriae gentis sectaeque homines ad laesi numinis vindictam adhortatus. Allegat[7]) Pseudo-Abdiae et Recognitionum Clementinarum volumina: nec istud ipsi alienum videtur ab his, quae Lucas de Paulo, Paulus de sua erga synagogam fide in sacris litteris tradiderunt. Baronius vero commentum de quo quaeritur, replicat ex somniorum officinis editum esse, a quibus omnes maiores qui de Jacobo pluribus egerint et quorum vestigiis sit insistendum, constat abstinuisse.

---

[1]) Caesari *Baronio* Joannes *Soria* Soc. Jesu Granatae XVII. Decembr. 1591 (*Alberic.* I, 243 sq.). — Eidem Idem. E Granatensi Collegio XVI. Decembris 1592 (l. c. p. 320 sq.).

[2]) Joanni *Soriae* Soc. Jesu Caesar *Baronius.* Romae Idibus Martiis a. D. 1592. (*Alberic.* I, 254 sq.)

[3]) Nuper tandem facta *Macarii Magnetis* editio (*Ἀποκριτικός* ed *Blondel.* Paris. 1876) me inducit ad transscribendam huc decimamtertiam Soriae in priori epistola quaestionem ita conceptam: „Quis fuerit Magnes ecclesiasticus auctor et ni fallor vetustissimus, qui Theostenem, Evangeliorum calumniatorem, laboribus apologeticis oppugnavit? Magnetis enim nomen unus celebrat *Turrianus*, tum alibi saepe, tum vero contra Volanum, et ut ad me, quae fuit viri sapientissimi singularis humanitas, aliquando rescripsit, exstat modo in Bibliotheca *Marciana* apud Venetos; notarique dicebat in *αὐτογράφῳ* Magnetem quo demum saeculo et aetate floruerit. Utinam ei, quod D. Isidori Pelusiotae Epistolis, beneficium obtigisset; nossemus videlicet hominem de facie, nec parum Ecclesiae historiae veritatem promovisset.“ *Baronius* autem in responso suo: „De Magnete,“ inquit, „exstare dicuntur eius scripta in Bibliotheca Veneta, in nostra autem fragmenta tantum. Ante annos septingentos eum vixisse putamus, licet alii ad antiquiora eum revocent tempora.“ Innuit fragmenta, quae una cum aliis codicibus *Achilles Statius* legavit bibliothecae *Vallicellanae.* Cfr. Thom. *Bosius,* De signis eccl. Dei lib. XIV cap. 6. Romae 1591. t. II. p. 74 („Haec Magnes quem Turrianus refert, et eius nos aliqua fragmenta habemus in bibliotheca Achillis Statii quae secuti sumus“) et *Duchesne* De Macario Magnete et Scriptis eius. Parisiis 1877. p. 7.

[4]) Eodem die translatio sancti Ignatii episcopi et martyris, qui tertius post beatum Petrum Apostolum Antiochenam rexit ecclesiam: cuius corpus ab urbe Roma, ubi ipse sub Traiano passus fuerat, Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in coemeterio ecclesiae positum fuit.

[5]) Massiliae in Gallia beati Lazari episcopi, quem Dominus in Evangelio a mortuis suscitasse legitur.

[6]) Jacobus qui et frater Domini legitur et primus Hierosolymorum episcopus, e pinna templi praecipitatus, confractis cruribus, ac fullonis fuste in cerebro percussus interiit, ibique non longe a templo sepultus est.

[7]) etsi: „Scio,“ inquit, „equidem, quo sint apud te loco Clementina opera, Constitutiones, Canones, Epistolae, maxime vero Recognitionum volumina. Quae tamen viri doctissimi non omnino sibi contemnenda putarunt, quos partim Turrianus, partim Gratianus collegerunt.“

XLIV.

Ex Coniectaneis et Adversariis in altera Soriae epistola obviis ab instituti nostri ratione quae sequuntur non sunt aliena:

Quorum nomina Idibus Maii recitantur, Sanctorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indaletii, Caecilii, Hesychii et Euphrasii meminisse notat Baronius Gregorium Papam septimum in litteris ad Alphonsum regem scriptis XIII. Kal. April. Ind. 12 [1]) his verbis: Septem episcopos ab urbe Roma ad instruendum Hispaniae populos a Petro et Paulo Apostolis directos fuisse, qui

destructa idololatria, christianitatem fundavere et religionem plantavere, ordinem et officium in divinis cultibus ostendere et sanguine suo ecclesias dedicavere etc. Igitur Gregorius simul prodit indirecte saltem Ecclesiae Romanae liturgiam a SS. Petro ac Paulo originem trahere; ad Gregorianum autem dictum aliaque testimonia respiciens Soria, quem nec opus spurium sub titulo: „Divina Liturgia S. Apostoli Petri“ a. 1589 publici iuris factum fugisse videtur, de quaestione, an B. Petrus Romanae Ecclesiae liturgiam instituerit et an ea quidem graece modo exstet, perquam docte (s. n. VI) disputat.[2])

Haud temere suspectum habet Soria locum in Martyrologio Romano d. 21. Junii huncce: „Sancti Eusebii episcopi Samosateni, qui tempore Constantii Imperatoris Ariani sub habitu militari incognitus ecclesias Dei visitabat, ut in fide catholica illas confirmaret: deinde sub Valente in Thraciam relegatur: sed reddita pace Ecclesiae tempore Theodosii ab exilio revocatus, cum iterum ecclesias visitaret, tegula ab Ariana muliere desuper immissa, confracto capite martyr tandem occubuit.“ In vindicando textu de insigni Martyre, qui in Martyrologium quasi postliminio rediit, Baronius nonnullos monet nescientes Eusebium episcopum Samosatensem, de quo l. c. agitur, perperam addidisse nomen Caesareae Palaestinae, falso putantes de illo d. 21. Jun. agi.[3]) Hi quidem sicut Eusebium Samosatensem ignorarunt et nomen Samosatense ob Paulum haeresiarcham fortasse exhorruerunt, ita etiam parum perspectas habuerunt res Eusebii Caesariensis a S. Hieronymo appellati Arianorum antesignani et per Synodum secundam Nicaenam ab omni orthodoxorum classe separati. Deinde laudat Baronius Menologii de S. Eusebio Samosatensi verba a Martyrologii Romani reformatoribus sub Gregorio XIII. in compendium redacta, quae omnia a probatis Graecis auctoribus sibi vindicant testimonium. Inprimis autem urget praeclarum de Samosateno Martyre elogium S. Gregorii Nazianzeni, cuius ad eundem quattuor reperiri datas epistolas constat.[4]) Verumenimvero duos Soria (s. n. XIII) Caesarienses distinguit Eusebios. Quodsi se ait habere auctorem, qui scribat, unum in Cappadocia floruisse, cui Basilius successor fuerit, confessione fidei tam illustrem, ut nec minis succumbere nec allici potuerit sollicitationibus, iste auctor anonymus veritati historicae haud contradicit. Nam S. Gregorius Theologus Eusebium Caesariensem, cui pariter tres inscripsit epistolas,[5]) in Basilio quidem aliquid humani passum innuit (*ἐγένετο διαφορὰ — τὸ μὲν ὅθεν καὶ ὅπως, σιωπᾶν ἄμεινον, πλὴν ἐγένετο*),[6]) virum autem fortem

(*οὐκ ἀγεννής*) tempore persecutionis acrisque adversus eum susceptae contentionis ac praeditum mirabili pietate (*θαυμαστὸς τὴν εὐσέβειαν*) praedicat, qui *φερώνυμος τῆς εὐσεβείας* pace redintegrata in Basilii post ipsum ad episcopatus Caesariensis thronum evecti manibus animam suaviter exhalaverit.[7]) Alterum vero Eusebium in Caesarea Palaestinae cognomento Pamphili eruditione et historiae cognitione celebrem a Synodo septima inter haereticos numerari concedens Soria hinc apparere opinatur, quis fuerit ille Eusebius Caesariensis in aliquot Martyrologia d. 21. Jun. cooptatus, pro quo Romanum Martyrologium ex Nazianzeni Epistolis Samosatensem induxerit. Nec necesse est, ut cum Soria ad similia quae claudicant duorum Ariorum aut duorum Anacletorum recurramus exempla. Nulla enim prorsus dubitatio relinquitur, si vetustissimum Martyrologium S. Hieronymi nomine insignitum necdum tamen Baronii et Soriae aevo editum consulimus, ubi expresse habetur" XI. Kal. Julii. In Caesaria Cappadociae, depositio sancti Eusebii episcopi."[8])

---

[1]) Cfr. Joh. *Voigt*, Hildebrand als Papst Gregorius VII. 2. A. Weimar 1846. p. 184 sq. *Gfrörer*, P. Greg. VII. u. s. Zeitalter. IV. Bd. Schaffh. 1859. p. 474 sq. *Gams*, Kirchengeschichte von Spanien II, 2. 457 sq.

[2]) Cfr. *Alberic.* I, 325 not. a.

[3]) Praeter *Maurolycum* Baronius procul dubio in mente habuit Alexandrum de *Peregrinis*, cuius in Martyrologio undecimo Kalendas Julii ita scriptum est: „(In) Civitate Caesarea Palaestinae sancti Eusebii episcopi et confessoris viri excellentissimi ingenii et historiographi."

[4]) Eusebio Samosatensi. Epist. 37. 64. 65. 66. (S. P. N. *Gregorii* Theologi vulgo *Nazianzeni* Opera ed. *Migne*. Tom. III. Par. 1862. pp. 87. 125 sq.)

[5]) Eusebio Episcopo Caesareae. Epp. 16. 17. 18. (l. c. pag. 49 sq.).

[6]) *ἅπτεται γὰρ οὐ τῶν πολλῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀρίστων ὁ μῶμος, ὡς μόνον ἂν εἶναι τοῦ θεοῦ τὸ παντελῶς ἄπταιστον καὶ ἀνάλωτον πάθεσι.*

[7]) Funebris Oratio (43) in laudem *Basilii Magni* Caesareae in Cappadocia episcopi capp. 28. 37. (S. Gregorii Theol. Opp. Tom. II. ed. *Migne*. Par. 1858. pag. 533. 545.)

[8]) Patrolog. Curs. compl. Ser. *lat.* ed. *Migne*. T. XXX. p. 463.

XLV.

Ubi de S. Petri ad Vincula Romae in Esquiliis dedicatione Kalendis Augusti peracta et eadem die in Martyrologio memorata disserit,[1]) Baronius hoc non vacare mysterio observat, quod

de Petri tantum Catenis tam in Oriente quam in Occidente agatur solemnitas, non autem de vinculis alicuius alterius Apostolorum: ut cuius est in ligandis atque solvendis alienis vinculis potestas praecipua in Ecclesia, eius etiam vincula a cunctis fidelibus in honore haberentur. Insuper quoad limaturam catenarum Petri pro ingenti munere ad reges et principes aliosque viros primarios de Dei Ecclesia benemeritos a Romano Pontifice mitti solitam, ex epistolis praesertim S. Gregorii M. moris fuisse arguit, eam includere aurea clavi ab altari Petri Apostoli accepta et transmittere ad absentes, qui clavem religiose suspendebant ad collum, ut Apostoli praesidio muniti a malis imminentibus tuti essent. At Soria (s. n. XXXI) cum Turriano, cuius auctoritati nimis est obnoxius, clavem eiusmodi non tantum pro munimine et tutela, sed pro signo condonationis peccatorum mitti consuevisse autumat, „ut modo Cruciata Diplomata mittuntur ab Urbe," ac pro certo credit, ex ista hypothesi Indulgentiarum (quae utique in aliis iisque firmis et validis nituntur argumentis ac rationibus)[2]) confici posse gravissimum testimonium.

Quod octavo Idus Novembr. in Martyrologio Gregoriano de S. Severo Barcinonensi legitur,[3]) id haustum est ex Molano Usuardi editore Severum narrante unum fuisse septuaginta episcoporum qui leges Gothicas in Hispania condiderunt, eundemque a Barbaris Gothicis, qui Cathaloniam incolebant, clavo capite confosso, martyrio coronatum esse anno Christi sexcentesimo tricesimo octavo. Baronius quidem se nescire fatetur, unde Molanus quae affert acceperit, nec alicubi se eius nominis episcopum Barcinonensem legisse in Conciliis quae frequenter illis temporibus coacta sunt in Hispania, neque etiam apud S. Ildefonsum, qui virorum illustrium eorum temporum seriem texuit. Soria autem (s. n. XVII) Molanum haud dubitat incidisse in aliquem Hispanum scriptorem, qui literis mandarit Severum ex numero septuaginta episcoporum legiferorum fuisse. Constantem enim et certam apud Hispanos esse eam sententiam, ut credant illud nobile Legum Hispanicarum volumen, quod Judicum Forum (Fuero Judgo, seu Fuero Juzgo)[4]) appellant, Sisenandi tempore a septuaginta Episcopis qui concilio quarto Toletano interfuerunt, publicatum Regisque auctoritate munitum, Ambrosius Morales et Mariana docent, quamvis addant et illud, ultimam manum huic operi impositam non esse ante tempora Egicae Regis, qui XVI. Toletanam Synodum cogendam curavit anno 693.[5]) Nec mirum videtur Soriae, quod Baronius Severi Barcinonensis nomen adscriptum haud repererit in aliquo Toletano Concilio, quum

utraque Conciliorum collectio Coloniensis ac Veneta id omiserit. Nomen autem Severi ait haberi in antiquissimo Conciliorum Codice, quem unum existimat fuisse eorum, ad quorum fidem correctus est Gratianus a Gregorio. Itaque ex hoc ipso subscriptiones quartae Synodi Toletanae proferens Ambrosius Morales[6]) sic ad finem habet: „Severi Barchinonensis Episcopi Vicarius Joannes presbyter subscripsi." Idem vero Morales, quod Molanus asserit Severum fuisse martyrem, e tabulis Barcinonensis ecclesiae refutat, neque quempiam de Episcopi huius martyrio mentionem habuisse constat. Unde Soria errori, quem Martyris dignitas et temporis distantia pellat, ansam dedisse suspicatur nomen, quatenus Severus Barcinonensis confusus sit cum illo Severo episcopo, quem una cum quattuor sacerdotibus in persecutione Diocletiani sub Daciano Praeside passum ferunt.[7])

---

[1]) Martyrol. Plantinian. a. 1589. p. 337 sq.

[2]) Cfr. *Frank*, Die Buszdisciplin der Kirche von den Apostelzeiten bis zum siebenten Jahrhundert. Mainz 1867. p. 914 sq. Vortridentinisch-Kathol. Theologie von Laemmer. Berl. 1858. p. 304 sq.

[3]) Barcinone sancti Severi episcopi et martyris, qui ob fidem Catholicam clavo capite confosso, martyrii coronam accepit.

[4]) Cfr. Faustini *Arevali* Isidoriana Pars III Cap. 92 (S. *Isidori Hispal.* Opp. ed. Migne. Tom. I. Par. 1850. p. 759 sq.). *Montalembert,* Die Mönche des Abendlandes. D. v. Brandes. II. Bd. Regensb. 1860. p. 228 sq.: „Bekanntlich sind die meisten Dekrete, welche von den Concilien von Toledo über politische Gegenstände erlassen wurden, in das berühmte Gesetzbuch aufgenommen, welches unter dem Namen Liber oder forum iudicum (auf castilisch Fuero Juezgo) die hauptsächlichste Grundlage der spanischen Gesetzgebung bildet, und das mit Recht als eines der interessantesten Denkmäler in der Geschichte der Gesetzgebung der christlichen Völker gilt. Der h. Isidor wird als der erste Sammler dieser Gesetze angesehen, und die Könige und Bischöfe nahmen nach und nach mit den Dekreten der Synoden die alten gothischen Bräuche und Gewohnheiten und einzelne Bruchstücke des römischen Rechtes in diese Sammlung auf. Dieselbe ward alsdann auf Befehl des Königs Egica auf dem XVI. Concil von Toledo i. J. 693 durchgesehen und geordnet. Dies Gesetzbuch hat das gothische Spanien überdauert: unter den Bedrängnissen der maurischen Eroberung und während der Zeiten der Heldenkämpfe des spanischen Volkes gegen den Islam, beseelte der Geist dieses Gesetzbuches die Fürsten- und die Magnatenversammlungen, und an seiner Lichtspur in der Geschichte hat sich die Vaterlandsliebe der Spanier stets wieder zurechtgefunden, und hat seine Gegenwart wieder an seine christlichen Anfänge angeknüpft."

[5]) Cfr. *Gams,* Kirchengeschichte v. Spanien II, 2 p. 180 sq.

[6]) Quem *Soria* (Coniect. s. n. XXVIII) refert Martyrologium Baronii avidissime lectitasse et cuius opera historica scripturo de Conciliis Sanctisque Hispaniensibus omnino evolvenda magni facit et saepius adhuc

quam scripta Marianae citat. Cfr. Reinh. *Baumstark*, Die spanische National-Literatur etc. Köln 1877. p. 96 sq.

[7]) Membrana post annum 1226 exarata et in sepulcro S. Severi episcopi Barcinonensis a. 1405 inventa, inter alia id referebat: „Iste Severus Barchinonensis episcopus et martyr sanctissimus fuit, atque martyrio coronatus est octavo Idus Novembris anno Domini sexcentesimo [trigesimo] octavo, cuius corpus requiescit octavo milliario ab urbe Barchinonensi in loco, qui dicitur Octaviani, in monasterio S. Cucuphatis. Iste fuit unus ex illis septuaginta episcopis, qui legem Gothicam [leges Gothicas] in Hispania condiderunt.“ Contendit *Florezius* (tom. XXIX Hisp. sacr. p. 57) membranam sequiori aevo ab aliquo scriptam, qui Gothici imperii statum ignoraret; neque alium fuisse episcopum Barcinonensem et martyrem nomine Severum, nisi eum qui, Diocletiano imperatore, martyrii coronam adeptus fuit. Sed certe auctor narrationis, cum septuaginta episcopos commemoret, innuere videtur concilium Toletanum IV, cui Isidorus praefuit, et sexaginta duo episcopi praeter septem episcoporum vicarios subscribunt: quod arguit in ea tunc opinione Hispanos fuisse versatos quod in eo concilio lex Gothica fuerit stabilita. (*Arevali* Isidoriana p. 761.)

XLVI.

Simili tandem ac Higueram modo offendit Soriam, quod plurimi spectatae sanctitatis non sint recensiti in fastis sacris. Praetereo ipsius pia de locupletando Martyrologio Gregoriano desideria, de quibus valet generale iudicium a Benedicto XIV. latum et a me supra (XL) relatum. Una dumtaxat expostulatio videtur esse excipienda et delineanda. Calendis Januarii in Martyrologio fit mentio beati Fulgentii ecclesiae Ruspensis episcopi, qui tempore Vandalicae persecutionis ob catholicam fidem eximiamque doctrinam ab Arianis multa perpessus et in Sardiniam relegatus, tandem ad propriam ecclesiam redire permissus, vita et verbo clarus, sancto fine quievit. In adnotatis ad hunc locum Baronius tres discernit Fulgentios, scilicet Ruspensem, Fulgentium porro episcopum Utriculanum, qui celebris sanctitate vixit temporibus Vigilii Papae et Totilae regis Gothorum,[1]) Fulgentium denique in Hispania episcopum, quem claruisse ait aetate Ervigii regis Gothorum. Sin autem tertius hic Fulgentius unus idemque est cum Fulgentio episcopo Astigitano, fratre S. Isidori a Baronio in Not. ad d. 4. April. memorato, ipsum Ervigio aequalem fuisse Soria (s. n. XXII) iure censet vix credibile, imo error patescit chronologicus. Nam Fulgentius Astigitanus reperitur subscripsisse Concilio Hispalensi secundo, cui

eius frater S. Isidorus praefuit,[2]) et obiisse videtur ante annum 633, quo subscriptus legitur Toletanae synodo quartae Habentius episcopus Astigitanus; tempore autem Ervigii Regis Theodulphum in cathedra episcopali Astigitana sedisse ex subscriptionibus aliorum conciliorum liquet. Fulgentium igitur germanum S. Isidori, qui ad ipsum duos libros de Ecclesiasticis officiis misit, Patronum venerari et agnoscere Urbem Astigitanam testatur Soria. Eius quidem Vitam casu aliquo perditam putat, sed resarciri posse hanc iacturam ex Chronico Ambrosii Morales et ex libro hispana lingua scripto per Fr. Rodericum Hieronymianum doctum. Quodsi tamen Fulgentii sapientiam et eruditionem in eius operibus elucere ex iisque superesse asserit Soria v. gr. librum ad Scarilam amicum de fide Incarnationis, Astigitano (qui post Astigitanam sedem rexisse etiam Carthaginiensem traditur) perperam attribuit, quod Ruspensi vindicandum est,[3]) nec innititur Doctoris titulus, quem Fulgentius Astigitanus apud Hispanos assecutus dicitur, veteribus monumentis.[4])

---

[1]) S. *Gregorii* M. Dialogorum Lib. III c. 12. Opp. ed. *Migne* III, 240.

[2]) *Gams* l. c. p. 89.

[3]) S. *Fulgentii* Episcopi *Ruspensis* Opera ed. *Migne*. Par 1861. p. 573 sq.

[4]) Cfr. *Arevali* Isidoriana I, 17 p. 100 sq. (An Fulgentius Isidori frater quidquam scripserit, disserit Nic. Antonius, et post eum Florezius tom. X. Hisp. sacr. . . Fulgentii non vulgarem doctrinam arguit documentum vetus saeculi VII: „Et sic crevit fides catholica (in Hispania) paulisper, donec de orthodoxis et catholicis viris fuit illustrata, id est, Fulgentio, Petro, Leandro“ etc. Testimonium Roderici Toletani pro Fulgentii doctrina ad saeculum XIII pertinet: eodem saeculo floruit Lucas Tudensis, qui in Isidori chronico simile testimonium protulit. Hac de controversia anno 1723 actum fuit in S. Rit. Congregatione). *Benedict. XIV.* De Serv. Dei Beatif. Lib. IV. P. II. C. XI, 16 (Opp. ed. *Prat.* T. IV. p. 514 sq.): Pro S. Fulgentio Episcopo Carthaginiensi petita fuit concessio et approbatio Officii proprii cum qualitate Doctoris sub ritu duplici pro universa Hispania. Verumtamen ipse [Prosp. de Lambertinis eo tempore Promotorem fidei agebat] opposui, non satis valido niti fundamento, quod in lectionibus exhibitis asserebatur, Sanctum videlicet Fulgentium fratrem germanum SS. Leandri, Isidori, et S. Florentinae natum fuisse in civitate Carthaginiensi, fuisse peritum linguarum Graecae, Syriacae, Hebraicae et Latinae; plura edidisse volumina, quorum praecipue mentio fit in Breviariis Hispanicis; fuisse relegatum a Leovigildo Rege, qui haeresim Arianam sequebatur; fuisse insuper Episcopum Carthaginiensem creatum. Addidi, eius nomen non esse descriptum in Martyrologio Romano: licet enim die prima Januarii descriptum sit in Martyrologio nomen S. Fulgentii, non est tamen nomen S. Fulgentii Astigitani Episcopi et SS. Isidori, Leandri ac Florentinae fratris, sed alius S. Fulgentii Episcopi Ecclesiae

Ruspensis; atque ideo alterum cum altero minime esse confundendum, sicuti bene adnotarunt C. Baronius et Lucas Holstenius in notis ad dictum Martyrologium, ad diem 1. Januarii. Ex quo fit, ut opera conscripta, quae S. Fulgentio Astigitano adscribuntur tanquam auctori, non sint ipsius, sed Fulgentii Episcopi Ruspensis. Universas hasce oppositiones desumpsi ex Nicolao Antonio in Biblioth. vet. Hisp. t. 1. lib. 5. c. 1. quae porro, ut in more positum est, fuerunt cum Postulatoribus communicatae. Correctis autem opera et studio Cardinalis Relatoris lectionibus, quae ab ipsis Postulatoribus exhibitae fuerant, s. Congregatio d. 23. Januar. 1723 annuit concessioni lectionum propriarum, et extensioni ad totam Hispaniam sub ritu duplici, et titulo Confessoris Pontificis, una cum Evangelio „Vos estis sal terrae", et cum Octava in dioecesibus, in quibus colebatur tanquam principalis Patronus, hoc est in Carthaginiensi et Placentina: Nullum vero in hoc Rescripto verbum factum est de titulo Doctoris: quocirca novis supplicationibus exhibitis sacrae Congregationi, eo praesertim fundamento, quod ab antiquo tempore titulum habuisset Doctoris in nonnullis Hispaniarum dioecesibus, die 17. Aprilis 1723 responsum fuit, ut in Officio S. Fulgentii solita observaretur consuetudo quoad ritum Doctoris.

XLVII.

Marcus Velserus Augustanus, Romae ab Antonio Mureto institutus, in patria post impetratum latum clavum aliis etiam cumulatus insignibus, sed animi dotibus clarior et propter ingenii sui foetus historicos, patrologicos, hagiologicos in litteraria republica nobilitatus,[1]) qui cum Baronio amico mutuum habebat litterarum usum, in epistola Augustae Vindelicorum VII. Kal. Maii a. 1592 data litem respicit de S. Albani[2]) gestis definiendam. Magnam de tempore martyrii S. Albani inter scriptores varietatem reperiri ostendit Baronius in Scholiis ad d. 21. Jun., siquidem Beda aliique eum secuti Albanum referunt sub Diocletiano passum, Petrus de Natalibus autem Theonestum Albani in martyrio socium aetate Damasi affirmat ab Arianis necatum, Sigebertus vero Albani et sociorum martyrium a. D. 425 contigisse asserit. Praeterea apud se esse innuit Baronius in veteri codice manuscripto Vitam S. Albani, cuius est exordium: „Erat olim in partibus Aquilonis" etc.; sed quae videatur apocrypha nullamque sibi verisimilem saltem vindicet auctoritatem. Jam Velserus, investigandis Augustanorum Sanctorum historiis deditus, Baronio nuntiat se invenisse Acta manuscripta S. Albani, S. Theonesti et Sociorum hoc principio: „Postquam aeterni Patris unigenitus" etc.: quae in plerisque conciliandis praecipue

temporibus correctione indigeant. In iis S. Ursus, Theonesti discipulus, Augustae Vindelicorum passus esse scribitur. Quoniam vero Petrus de Natalibus[3]) prodidit, horum martyrum corpora Burani prope Venetias, Torcellensis Dioecesis,[4]) exstare, Velserus acta quoque ibi servata et in festo S. Albani in lectionibus recitari solita curavit exscribenda, quorum vel ex initio hoc: „Temporibus impiissimi Honorii Persarum Regis atque Medorum Wandalorumque" etc. cognoscitur, ea sane non minus postulare censuram. Ac quod in tertia lectione civitas Augusta sita dicitur ad radicem montis qui nuncupatur Jovis, quod Augustae Vindelicorum neutiquam, sed Augustae Praetoriae quae Salassorum fuit,[5]) convenit, non potuit non scrupulum iniicere Velsero, qui haud sine causa veretur, ne qui acta S. Albani in Germania descripserunt, similitudine nominis decepti sint.

---

[1]) Cfr. Danielis Ermitae Iter Germanicum. Cod. *Sessorian.* CCCCLII f. 571. Melet. Rom. Mantissa p. 67.

[2]) Moguntiae sancti Albani martyris, qui ob Christi fidem post longos labores et dura certamina factus est dignus corona vitae. (Martyrol. Rom. undecimo Kal. Jul.) Cfr. *Friedrich,* Kirchengeschichte Deutschlands I, 314.

[3]) Episcopus Equilinus, cuius Catalogus Sanctorum (Lugduni 1519) iudicium lectoris desiderat. („Facendo lui così breve memoria de Santi, parmi, che nelle allegationi dovessero precedere quelli, che trattano ex professo la lor vita diffusamente." *Baronius* Talpae. Di Roma li 9. Aprile 1588.)

[4]) quae a. 1818 dioecesi Venetae est unita. Cfr. *Neher,* Kirchliche Geographie und Statistik. I. Bd. Regensburg 1864. p. 259 sq.

[5]) Cfr. *Alberic.* I, 278 not. a. Augusta Praetoria, antiqua Salassorum seu Salassariorum metropolis, anno ante Christum natum vicesimo tertio victis Salassis colonia Romanorum facta, pertinuit quondam ad Episcopatum Vercellensem, donec episcopali sede fuit donata.

XLVIII.

Codex Vallicellanus G. 89 insignitus „Officia Varia Sanctorum" complectitur, quae post peractam reformationem Breviarii Romani Pianam sub Pontificatu Clementis VIII. novam eiusdem libri recognitionem meditati a diversis Ecclesiis particularibus (Legionensi etc.) in Urbem transmissa[1]) et a Baronio praesertim quoad secundi Nocturni lectiones revisa, correcta, probata sunt. Episcopus quoque Constantiensis, Marcus Siticus

S. R. E. Cardinalis ab Altaemps,[2]) Proprium Dioecesanum Constantiense subiiciendum curavit Romanae censurae. Verum nonnullae mutationes in contextu lectionum a Correctoribus Romanis propositae una cum ipsorum notis marginalibus iuxta sententiam Capituli ac Cleri Constantiensis non emendationes, sed peccata contra veritatem historicam ac traditionem sinceram fuerunt; id quod Joanni Pistorio Canonico Constantiensi[3]) occasionem obtulit per litteras anno 1597[4]) cum Baronio observationes speciales circa Officia variorum Sanctorum pro Constantiensi Ecclesia communicandi. In elencho autem dubitationum, quas a Baronio examinandas et tollendas hunc in finem concinnavit, ut Breviarium Constantiense in apertum referri posset plenissime emendatum, haud deest una de Vita S. Pelagii animadversio, quae eadem ad Martyrologium spectat. Miratur enim Pistorius, Constantiensium advocatus, cur in exemplo Breviarii dioecesani Romae recognito S. Pelagius Augustae affectus martyrio scribatur, quum Martyrologium Plantinianum quinto Kal. Septembris illum fortem Christi athletam Constantiae in Gallia sub Numeriano Imperatore et Evilasio iudice martyrii coronam accepisse asseveret; tametsi tunc temporis Constantia nulla fuerit, nisi fortassis Constantia Castra in Normandia intelligatur aut Constantia diu post aedificata, cuius circumiecta provincia tum ad Galliam simul attinebat, κατὰ πρόληψιν nominetur posterioris aetatis cognomento. At Constantia nulla Augusta vocatur, Augustae vero tot diversis terrarum tractibus occurrunt, ut explicandum foret, quaenam Augusta fuerit, ubi S. Pelagius mortem subierit. Insuper Pistorius Urbem et Ecclesiam Constantiensem negat testimonium luculentum de Patrono suo Pelagio vel Augustae vel Constantiae interfecto ullum suppeditare, quum potius in Pannonia patria cruciatus esse tormentis et occisus credatur.[5]) „Quod“ — inquit — „in Numeriani imperium magis congruit, qui in oriente, non in occidente rempublicam administravit; et vix apud nos saeviendi occasionem habuit, nisi vivo patre, cum Caesar esset, nostras provincias in occidente gubernavit et tum mors accidit S. Pelagii; quod nos ignoramus.“ Denique mirari Constantienses innuit Pistorius, cur patriam Aemonam superioris Pannoniae, Ptolomaeo notam et fide superioris aetatis pro patria S. Pelagii communiter receptam urbem censura Romana deleverit vel potius obruerit silentio.

Quod reliquum est, Democharis (quem sequitur Baronius, ubi in Martyrologio ad d. 26. Novembr. S. Conradum recenset tricesimum sedis Constantiensis episcopum)[6]) auctoritatem non

magni facit Pistorius, etsi laborem non malum diligentissimi viri haud despicit. Obiter enim ait: „Demochares Gallus et quingentis Italicis miliaribus, cum scriberet, a nobis remotus, aliena fide excusorum auctorum subnixus, archivium librosque nostros antiquissimos ne quidem aspexit; ut propterea nos, qui omnia ex antiquis libris et chartis habemus explicatiora, historiam illius de Episcopis nostris parvipendamus."

---

[1]) Cfr. Questioni proposte e discusse nell' Accademia Liturgica Anno XVI. Roma 1858. p. 32 sq.

[2]) Sforza *Pallavicino*, Istoria del Concilio di Trento ed. *Zaccaria*. Tom. III. Roma 1833. XIV, 13; XVIII, 16 pp. 229. 783.

[3]) theologo polemico admodum docto sed nimis vehementi, qui etiam rerum germanicarum veteres scriptores edidit; cfr. K. *Werner*, Gesch. d. kath. Theologie p. 4. 16; *Hurter*, Theologiae Cath. Saeculum primum post celebratum Conc. Trid. (Nomencl. litter. Tom. I) p. 308 sq.

[4]) Caesari Card. Baronio Joannes *Pistorius*. Ex Constantia XVI. Kal. Februarii a. 1597. *Alberic.* I, 418 sq.

[5]) Cfr. Al. *Lütolf*, Die Glaubensboten der Schweiz vor St. Gallus p. 219 sq.

[6]) Cfr. *Gams*, Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae. Ratisbon. 1873. p. 271.

XLIX.

Quem supra XXX ultimo loco memoravimus, Georgius Colvenerius, Duacensis academiae professor et post Estii mortem cancellarius,[1]) cui operum Rabani Mauri et Flodoardi historiae Remensis ecclesiae editiones debemus, in limine litterarum d. 3. Martii 1597 datarum ex Martyrologii Romani cum Baronii doctissimis notis ac septem Annalium tomorum lectione in s. theologiae studio et professione multum se profecisse fatetur gratus expertusque, theologum sine historia infantem esse. Praeterquam autem quod dilucidanda cum Baronio confert aliquot momenta ex Annalibus excerpta, duas etiam cum Martyrologio connexas perstringit quaestiones. In una agitur de S. Ursula, in altera vero de auctore librorum de Vitis Patrum. Quoad priorem, Baronius in notis ad textum d. 21. Octobris („Apud Coloniam Agrippinam natalis sanctarum Ursulae et sociarum eius, quae pro christiana religione et virginitatis constantia ab Hunnis interfectae, martyrio vitam consummarunt:

et plurima earum corpora Coloniae condita fuerunt"), quemadmodum sanctarum Ursulae et sociarum virginum historiam diversimode a diversis auctoribus scriptam monstrat, ita in his accidisse monet, ut deperdita vera germanaque earum virginum historia, quisquis (ut libuit) sive quae suo ingenio commentatus fuerit, sive quae ab aliis levi quodam vulgi rumore acceperit, scripturae monumentis commendarit, non sine magno veritatis detrimento, quum gravissimam historiam commentitiam pene reddiderint.[2]) Baronius quidem posteaquam in huius rei veritate investiganda plurimum laboris insumpsit, codicem tandem Vaticanum invenit pervetustum numero 944 insignitum in eoque tractatum de rebus Britannicis inscriptum auctore Gaufrido episcopo Asaphensi, qui de Maximo Gratiani temporibus invasore Imperii agens, de Ursula quoque brevem contexuit historiam caeteris figmentis ab omni etiam verisimili ratione remotis probabiliorem, quae sic exorditur: „Cum Maximus proximas Gallias invasisset ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam provinciam" etc. Verba igitur ex Gaufrido descripta Baronius reddit integra nec solum quatenus veritati consentiant, ex S. Ambrosio, Salviano Massiliensi, Sigeberto eruere conatur, sed etiam erudita Lindani de loco martyrii S. Ursulae coniectanea[3]) subiungit. Colvenerius autem in sua epistola de Thomae Cantipratani[4]) miraculorum et exemplorum memorabilium libris[5]) a se editis loquens Baronio renuntiat, eiusdem de S. Ursulae et Sociarum historia sententiae semet in notis Thomae adiectis indicasse confirmationem ex additione Coloniensi ad Usuardi Martyrologium, nec parvi faciendum opinatur argumentum ex scriptore, qui degit in loco rei gestae vel ubi celebrior eius exstat memoria. Secus vero ac Baronius de Vitis Patrum sentit Colvenerius. Martyrologii (a. d. 17. Januar.) commentator, qui ipse in animo habuit scholia pernecessaria in Vitas Patrum elaborare, ab Evagrio presbytero, Vitae S. Antonii ab Athanasio scriptae latino interprete,[6]) Evagrium discernit Ponticum Origenistam,[7]) quem scripsisse asserit Vitas Patrum et miscuisse Origenistas nonnullos ab Hieronymo in epistola ad Ctesiphontem notatos. At Colvenerius, cui certo constat auctorem operis de Vitis Patrum esse Rufinum Aquileiensem, id solidis confirmari posse argumentis ex epistola Hieronymiana[8]) quam citat Baronius petitis innuit. Nec immerito Historia monachorum seu liber de Vitis Patrum[9]) inter opera Rufini primigenia numeratur. Nam verba, quibus videtur Baronius esse deceptus, Hieronymi haec:[10]) „Qui librum quoque scripsit, quasi de Monachis: multosque in eo

enumerat, qui numquam fuerunt, et quos fuisse describit Origenistas et ab Episcopis damnatos esse non dubium est" etc., non ad Evagrium referenda sunt, sed ad Rufinum eius discipulum, quem eundem libros per Orientem graecos Evagrii Pontici quos recenset complures interpretatum esse a Latinis in Occidente lectitatos S. Hieronymus testatur.

---

[1]) Vir sane in eruendis ac colligendis antiquitatis atque historiae ecclesiasticae reliquiis diligentissimus ac fidelissimus; cuius rei specimen non unum dedit, cum veterum scriptorum operibus primum in lucem editis, tum orationibus variis ad iuventutem Academicam habitis de materiis plerisque ex ultima antiquitate ecclesiastica repetitis. (*Alberic.* III, 203 not. a.)

[2]) Cfr. *Friedrich*, Kirchengeschichte Deutschlands I, 141 sq.

[3]) Locus qui agonis S. Ursulae palaestra constanter ab universis in hunc usque diem est habitus, is tunc temporis longiuscule a Colonia Ubiorum erat dissitus: nunc autem ex Francorum et Judaeorum plurimorum (quod illorum loquitur antiquissimum coemeterium, permultis Hebraicis epitaphiis exornatum) incolatu ad flexum Rheni forma hemicycli extensum longissime . . . Si ergo classis illa S. Ursulae fuit vi tempestatis ad Wahalim depulsa, nullo negotio naucleris licuit ad rectum Rheni cursum ex internatantibus passim insulis naves dirigere aut potius ventis dare: qui eos in manus Hunnorum invexerunt etc. (Mart. *Plantin.* 1589. p. 466 sq.)

[4]) qui in gratiam S. Thomae Aquinatis condiscipuli vertisse dicitur Aristotelem e Graeco idiomate in Latinum. Cfr. Rob. *Bellarmini* de Scriptoribus Ecclesiast. Lib. (Col. 1657) p. 251 sq. et *Busse,* Grundr. d. christl. Literatur. II. Münster 1829. p. 229 sq.

[5]) Opus istud etiam Bonum universale de apibus mysticis aut Liber Apum inscribitur. Editio *Colvenerii* Duacensis a. 1597 pluries repetita est

[6]) S. P. N. *Athanasii* Opp. ed. *Migne.* T. II. Par. 1857. p. 823 sq.

[7]) Cfr. *Fessler*, Inst. Patrolog. I, 656 sq.

[8]) Ep. 133 ad Ctesiphontem contra Pelagium. S. *Hieronymi* Opp. ed. *Migne.* I, 1147 sq.

[9]) ed. *Rosweydus.* Antverpiae 1615.

[10]) Opp. I, 1151.

L.

Novem annis post divulgatam editionem Plantinianam et eodem fere quo octavus Annalium tomus tempore[1]) tertia eaque ultima, quam equidem novi,[2]) Martyrologii Romani cum notationibus Caesaris Baronii editio Romae ex typographia Vaticana a. 1598 prodiit a Baronio ipso adornata,[3]) qui sane in publicum

nihil ferri debere nisi ingenio perfectum, elaboratum industria ratus illo temporis intervallo haud desierat strenuam emendando ac perficiendo tam textui quam commentario navare operam. Tantum autem abfuit, ut editionem Romanam a. 1598 existimaret omnibus numeris esse absolutam, ut, quamdiu vixit, eidem medicas admovere manus non cessaret. Nemini id non liquet inspicienti exemplar istius editionis Vallicellanum (Q. 31), cuius in limine aliquis Congreg. Oratorii presbyter notulam aspersit hancce: „Correctiones manuscriptae huius Martyrologii sunt factae ab Illmo Card. Baronio maiori ex parte propria manu eius, reliquae ipso dictante;" Vulponius[4]) vero addidit: „Notae marginales indicantes loca Annalium ubi Cardinalis de Sanctis mentionem facit vel tempora circa quae floruerunt, sunt positae a me Jacobo Vulponio;"[5]) tertius denique anonymus notavit: „Ad hoc exemplar exacta est editio Vaticana Urbano VIII. S. P. a. 1630."

---

[1]) In questo ottavo Tomo, qual già è al fine della stampa ecc. (*Talpae* Baronius, li 15 Agosto 1598.)

[2]) Cum, supplicantibus Monachis monasterii de Cardegna pro descriptione nominis in Martyrologio Romano Stephani Abbatis et aliorum ducentorum Monachorum, qui a. 834 martyrio coronati fuerant sub Raffa Arabum. Tyranno Castellae Provinciam devastante, Clemens VIII. examen remiserit ad sacram Congregationem rituum, et res fuerit a sacra ipsa Congregatione commissa Cardinali Baronio, annuente praedicto summo Pontifice, facta est descriptio nominum praefatorum ad diem 6. Augusti, editumque fuit in Urbe a. 1602 „typis Stephani Paulini Superiorum permissu" Romanum Martyrologium cum praedictorum nominum appositione. Nullum vero istius Martyrologii exemplar in Urbe superfuit, omnibus videlicet in Hispaniam delatis; ita ut, ignorantibus nominum Stephani et Sociorum appositionem in Martyrologio ipsis Postulatoribus, iisdemque, dum fungebar munere Fidei Promotoris, instantibus pro eorundem nominum descriptione in Martyrologio Romano, habita a me notitia editionis Martyrologii factae a. 1602. nec ullo reperto in Urbe eius exemplari, opus fuerit, unum ab Hispaniis mitti, quo praecedens appositio nominum Stephani et ducentorum Monachorum comprobaretur. (Prosp. de *Lambertinis* De Serv. Dei Beatif. L. IV. P. II, 17 n. 6.)

[3]) Baronius publia en 1598 une troisième édition, revue et corrigée, que l'on peut considérer comme présentant les résultats définitifs de ses études sur le martyrologe. (*Matagne* ap. C. de *Smedt* l. c. p. 149.)

[4]) Jacobus V. Adriensis Romani Oratorii Sacerdos edidit non indicato nomine Collationes in Martyrologia Romana cum Annalibus Baronianis. (Leo *Allatius* in Ap. Urban. apud *Villarosa* II, 117.) Eundem *Vulponium* in catalogo Reformatorum Breviarii sub Urbano VIII. recenset *Meratius* (Thesaurus S. Rituum Barth. Gavant. ed. Venet. 1749. II, 17).

[5]) Cfr. Correctiones ad textum Martyrologii a Baronio adnotatae, cum rationibus earundem Jacobi *Vulponii* (Cod. *Vallicellan.* G. 82 f. 27).

Post Baronii obitum praeter Vulponium in Congregatione Oratorii praecipue Leander *Colloredus* (ab Innocentio XI. in collegium Cardinalium cooptatus) et Andreas *Gallandius* (de patrologia et iure canonico optime meritus, † 1779) studiis martyrologicis dediti fuerunt. Verum nec Colloredus, qui multa pro nova expurgatione Martyrologii Romani paraverat, morte praereptus potuit opus absolvere typisque edere (*Benedict. XIV.* de Serv. Dei Beatif. L. IV. P. II. C. 17 n. 9), nec lucem vidit Gallandii „Bibliotheca Martyrologica, seu Veterum Kalendariorum ac Martyrologiorum quotquot hactenus in lucem prodierunt, amplissima collectio, multis huiusmodi primigeniae antiquitatis hucusque ineditis quam longe locupletata" (*Villarosa* I, 138).

LI.

Quemadmodum commercii cum viris doctis Italiae, Galliae, Germaniae, Hispaniae per decennium 1587—1597 epistolaris specimina, quorum conspectum supra XXXI sq. sic exhibuimus, ut inprimis momenta historico-critica in controversiam deducta proponeremus, non parvam Baronio in apparanda recensione a. 1598 attulerunt utilitatem, ita nec annis 1598—1606 intermissus litterarum de quaestionibus martyrologicis mutuus usus non potuit emendationibus et additionibus non subservire propria Baronii aut aliena manu in exemplari Vallicellano Q. 31 notatis. Variae autem symbolae et spicae ab exteris in horreum Baronii illatae sunt. Ad ipsum enim per litteras transmiserunt

a) Nicolaus Serarius (Moguntiae ultima Dominica Septembris 1598) suas in S. Kiliani (Martyrolog. d. 8. Jul.) gesta notationes;

b) Fr. Antonius Praemistiev Ord. Praedic. in Russia Provincialis (Leopoli Russiae metropoli 5. Octobr. 1599) veriorem gestorum S. Hyacinthi Confessoris (M. 16. August.), quem Clemens VIII. in Sanctorum numerum retulit, historiam;

c) F. Jodocus Graes (Ex Cartusia S. Sixti Rutila. Kal. Decembr. 1599) veteris Martyrologii Adonis exemplar; [1])

d) Hieronymus Santangelus (a. D. 1600) [2]) libellum, quo Officium iuxta ritum S. R. E. cum rebus gestis S. Amasii Soranorum ac Theanensis Civitatis Patroni complexus est et in quandam seriem ordinemque redegit;

e) Arnoldus a Wachtendonck, quem Baronius ad gesta Patronorum Leodiensium tractanda impulerat, fragmenta Filocaliana et Calendarium ex tempore declinantis Imperii unacum

aliis collectaneis (Leodii 27. April. et 27. Octobr. 1600; 19. Mart. 1601);[3])

f) Daniel Raymundi (Leodio 18. Septembr. 1600) S. Lamberti episcopi Traiectensis (Martyrol. 17. Septemb.) vitam per Nicolaum Leodiensem descriptam, facta duorum eius codicum collatione;[4])

g) Nicolaus Faber (Ex Fossatensi Castro VI. Kal. Septembr. 1602) fragmentum Mscr. ad S. Ildefonsum (Martyrol. 23. Januar.) spectans et Baronii sententiam de die quo Ildefonsus decessit confirmans; denique

h) Robertus Visorius Theologus Sorbonicus (Ambianis 9. Jul. 1606) de translata ad Ambianenses facie S. Joannis Baptistae (Martyrol. d. 29. August.) commentarium.[5])

---

[1]) „Venit ad Illmam et Reumam Celsitudinem Vestram, Caesar Baroni Cardinalis Ampl., venerabile et perantiquum Martyrologium (ut ipsius *Adonis* Archiepiscopi verbis utar), venit inquam, aut fluit verius, impetu quodam suo, fonticulus iste ad C. V. quasi parentem, atque oceanum quendam sacrae historiae, qui paradisi non superficiem modo, sed ipsa ecclesiae viscera fluentis suis inebriat. Illustre hoc vetustatis monumentum cum neque Reumae C. V. ingratum fore et in Agrippinensi Cartusia latere suspicarer, magna mihi diligentia vestigandum putavi. Cessit ea res sane feliciter, et aliquando tandem unum eius exemplum accepi ea fide scriptum, ut ne manifesti quidem errores sint mutati. Ita enim ut fieret, postularam, quo sine ullo praeiudicio tota res integra ad excellens iudicium C. V. veniret, quae in ea parte praefationis, qua de Romano Martyrologio disserit, hoc ipsum quod Ado quasi fontem praemiserat esse ipsissimum Romanum censet.“ Cfr. *Baronii* Tractatio de Martyrologio Romano cap. VIII.

[2]) *Alberic.* II, 52.

[3]) *Alberic.* III, 283. 295. 307. Cfr. *Mommsen*, Ueber den Chronographen v. J. 354. Leipzig 1850.

[4]) Cum mihi in animum irrepserit suspicio, necdum fortassis ad manus D. V. devenisse illam S. Lamberti Martyris vitam, quae ante quadringentos et quadraginta septem abhinc annos per Nicolaum nostrae tunc Ecclesiae Canonicum Diaconum descripta apud nos et alios exstat.. non abs re me facturum putavi, si huius eiusdem transsumptum Ill. D. V. dirigerem. Quod ut quam fidelissime praestarem, de pluribus ante omnia illius exemplaribus apud diversa loca investigandum sane mihi fuerat. Sed cum id temporis angustia vetaret, duobus tantummodo, quae facile ac statim ad manus habui, uti compulsus sum. Horum unum Ecclesiae nostrae est; quo et ante trecentos circiter abhinc annos (veluti ex repertorio eiusdem bibliothecae apparet) pro divinis semper uti consuevit tam in praememorati Sancti Patroni nostri festivitatibus, quam etiam in eiusdem hebdomadali officio: quod ab anno Domini millesimo ducentesimo decimo tertio ad instar Officii Sabbatini B. V. Mariae, dudum antea etiam

(ut circa annum Domini 1545) in eadem Ecclesia nostra instituti, per singulas fere anni septimanas, extra Adventus et Quadragesimae tempora, celebratur. Alterum accepi ex bibliotheca cuiusdam mihi familiaris amici; quod sane R. P. D. Joannes Vlimmerius Canonicorum Regularium D. Martini Lovanii Prior et ibidem Universitatis Antiquarius, se propria manu anno Domini 1590 infra octavam S. Lamberti ex vetusto papyraceo sui Collegii Codice transscripsisse ac contulisse, sua etiam subsignatura sub illius finem ob id adiecta attestatur. Utrisque vero diligenter ad invicem collatis, reperi illa de verbo ad verbum sibi correspondere, salvis iis paucis, quae in transsumpto per me D. V. Illmae misso ad eiusdem calcem adnotata subiiciuntur.

[5]) „Ex quo divinum illud ac plane aureum in Rom. Martyrologium a te elucubratum opus in lucem prodiit, et Alpium iuga transcendens secundo tui clarissimi nominis favore in remotissimas Galliarum oras pervasit, Cardinalis Illme, audiens in illo ipso notationum opere aliquid a te scriptum, quod fidem vulgo receptam de translata ad nos facie S. Joannis Baptistae, et a multis iam saeculis debita ac frequenti, ut par est, a nostris veneratione culta convelleret (cfr. Baron. i. n. ad d. 29. Aug.), dici vix potest, quam saepe optarim certi hominis facultatem nancisci Romae, cui liber ad te pateret aditus, ut quoniam per eam qua tam longe dissiti sumus locorum distantiam, in praesentia tecum de eo conferre non daretur, id saltem per internuntium consequerer . . Quare ab amicis . . facile me persuaderi passus sum, ut brevem de hac translatione commentarium . . in hominum conspectum darem. Et quoniam id operae vernacula nostra lingua in popularium scilicet nostrorum gratiam potissimum a me susceptum erat, ut in ea scilicet, qua sunt erga tanti Praecursoris merita pietate ac devotione foverentur, . . summa illius vitae Capita ex Evangelio delibans, primam partem in eius mortem sepulturamque conclusi. Deinde ubi in altera de multiplici reliquiarum et maxime de Capitis eius inventione, ex iis auctoribus, quos in hac bonorum librorum et bibliothecarum egena urbe legere datum est, dilucidam narrationem perstrinxi; tertia demum parte veram translationis historiam e Constantinopolitano per Gallos excidio in hanc Urbem, iuxta ea quae tunc a Riccardo Ambianensis ecclesiae episcopo memoriae prodita sunt, summa fide descripsi, nonnullas ad extremum rationes adiungens, quae rei veritati plurimum visae sunt suffragari: cuius libelli . . tibi copiam facere ausus sum, non ingratum futurum sperans, qui benevolo animo et hilari fronte, ceterorum qui ad te de rebus antiquitatis observationes scribunt, solitus es, veluti Hieronymus alter, excipere . .“ (*Alberic.* III, 332 sq.)

LII.

Martyrologii Gregoriani editionis legitimae ex anno inde 1584 repetitis Baronii curis castigatae novam quae innuitur in Cod. Vallicellan. Q. 31 recognitionem sub Urbano Papa VIII. hac ratione factam fuisse, ut nomina Sanctorum subsequenter

canonizatorum adderentur et textus ad fidem historiae emendaretur, Bartholomaeus Gavantus ex Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli testis est in suo Thesauro Sacrorum Rituum Tom. II. Sect. V. Cap. 21. n. 7 [1]) inquiens: „Recognita fuit rursus Urbani VIII. iussu, additis Sanctorum Festis, qui nuper canonizati sunt; et in primo loco positis iis, quibus datum est officium de praecepto: tum vero emendatus fuit textus multis in locis iuxta veritatem certissimae historiae, me quoque minimo omnium Collegarum praesente; et minus certa interim commisimus tempori decernenda maturius, quod intelligant ii, quaeso, qui mutationem optavere maiorem in ipso textu.“ Gavantus quidem reticet nomina collegarum cum ipso ad recognoscendum Martyrologium deputatorum; quoniam tamen eodem tempore et ex mandato eiusdem Summi Pontificis tam Martyrologium quam Breviarium Romanum recognoscebatur nec paucae res alteri cum altera recognitione intercedebant, vero proxima videtur esse coniectura, cui praeterea codices Angelicus et Barberinianus mox memorandi suffragantur, scilicet quod si non omnes viri peritissimi, quos ad examinandum ac restituendum Breviarium Urbanus VIII. delegerit, saltem plures ex iis munus simul corrigendi Martyrologii susceperint. Reformatores autem Breviarii per Papam adsciti, dummodo catalogus Merati [2]) sit authenticus, fuerunt hi decemviri: Aloysius Caietanus S. R. E. Cardinalis Praeses; Tegrimus Tegrimius episcopus Assisiensis Sacrae Rituum Congregationis Secretarius; Fortunatus Scacchus Apost. Sacrarii Praefectus; [3]) Nicolaus Riccardus S. Palatii Magister et S. R. C. Consultor; Hieronymus Lannius utriusque Signaturae Referendarius; Hilarion Rancatus Mediolanensis Abbas S. Crucis in Hierusalem S. Inquisit. Consultor et qualificator et S. R. C. Consultor; Jacobus Vulponius Congr. Oratorii S. Philippi Nerii; Bartholomaeus Gavantus S. R. C. Consultor; Terentius Alciatus Mediolanensis Societ. Jesu S. R. C. Consultor; Lucas Wadingus Ordinis Minorum Historicus, S. Officii qualificator et S. Congr. Indicis Librorum.

---

[1]) ed. *Merat.* Venet. 1749. p. 160.

[2]) Novae Observationes et Additiones ad *Gavanti* Commentarium. ed. Ven. II, 17.

[3]) Hic Urbano VIII. opus suum nuncupavit inscriptum „De Notis et Signis sanctitatis Beatificandorum et Canonizandorum“. In eo autem Opere non solum fuse agitur de Sanctitate in genere, verum etiam de Virtutibus tum theologicis tum cardinalibus quae ad gradum heroicum pervenerunt: praeterquamquod ex ipsius operis argumento ac divisione

colligitur, eum praeterea composuisse secundum librum de Martyrio, tertium de Miraculis, quartum de Beatificatione, quintum de Canonizatione, sextum de Ordine iudiciario harum causarum, septimum de Congregationibus, in quibus causae pertractantur, octavum vero quem nondum absolverat, de Missa Pontificia. Sed ex omnibus his Operibus huius insignis viri tria tantum supersunt Manuscripta . . in Bibliotheca Angelica Urbis, cui dono data sunt a Petro olim Cardinali Othobono, qui postea ad Summum Pontificatum evectus Alexandri VIII. nomen assumpsit: is autem acceperat ex Bibliotheca Cardinalis Corradi, uti apparet ex ipsorum operum inscriptione; qua ostenditur insuper ardens tanti Pontificis desiderium, ne quid occultum remaneret, quod studiosis posset expedire. (Prosp. de *Lambertinis* in Praef. ad Lectorem de ratione Operis de Serv. Dei Beatif. ed. Prat. I. p. CLXII.)

LIII.

In disquisitionum historico-ecclesiasticarum abhinc tria lustra editarum parte altera, ubi de codicibus Bibliothecae Angelicae Patrum Augustinianorum in Urbe omni artium et scientiarum genere refertissimae disserui, mentio iam a me iniecta est Codicis Angel. S. 3. 2 signati,[1]) in quo insunt „Acta in S. Congregatione Rituum pro correctione Martyrologii ac Breviarii Romani cum adnotationibus M. Fortunati Scacchi Ord. Eremitarum S. Augustini et Praefecti Sacrarii Apostolici, collecta a F. Philippo Vicecomite Mediolanensi.“ Ex fol. 1 et sequentibus horum Actorum patet discussiones de recognitione Martyrologii iussu Urbani VIII. in Congregatione a. 1628 inchoatas fuisse. Fol. 83 sq. habentur Animadversiones historico-criticae in Martyrologium Romanum P. Antonii Caraccioli Congr. Clericorum Regularium et Responsiones P. Terentii Alciati ex Societate Jesu. Fol. 125 sq. agitur de diversis lectionibus in Martyrologio et Breviario Romano conciliandis ex annotationibus Antonii Caraccioli et considerationibus Terentii Alciati. Fol. 213 sq. rursus perpenditur, quibusnam in locis concordia inter Martyrologium et Breviarium quoad textus formam desideretur; v. gr. num S. Dorothea Virgo et Martyr, quae octavo Idus Februarii recolitur, sub Sapricio (Martyrol.) an sub Apricio (Breviar.) Cappadociae Praeside vexata fuerit. Fol. 237 Codex ea exhibet quae peculiariter ab Auberto Miraeo Decano Antverpiensi[2]) proponebantur in textu Martyrologii consideranda. Fol. 239 sq. disceptatur de lectione Martyrologii Romani in Vigilia Nativitatis Domini. Denique fol. 255 de S. Dionysio Areopagita (Septimo Idus Octobris)[3])

haec in Actis notata leguntur: „Videtur examinandum esse, an sit ille qui in Gallia praedicavit. Nam multis placet fuisse errorem Hincmari, quod censeatur esse idem. Et Baronius quoque videtur errasse, quia non viderat antiquum Martyrologium, quod latebat in Vaticano, in quo distinguuntur duo Dionysii Episcopi, alter Areopagita, alter Parisiensis. At Hincmarus, vir turbulenti ingenii, ut Ecclesiam Gallicanam extolleret, scripsit Dionysium quem Galli colunt esse Areopagitam.“ [4])

---

[1]) Zur Kirchengeschichte des sechszehnten und siebenzehnten Jahrhunderts. Von H. L. Freiburg i. Br. 1863. p. 104 sq.

[2]) Editore Bibliothecae Ecclesiasticae (Antverp. 1639 sq.), quem Joannes *Bona* „virum multae doctrinae et eruditionis, et de ecclesiasticis antiquitatibus optime meritum“ (Not. auct. Opp. omn. ed. Antverp. 1694 p. 580) appellat.

[3]) Lutetiae Parisiorum natalis sanctorum martyrum Dionysii Areopagitae episcopi, Rustici presbyteri et Eleutherii diaconi: ex quibus Dionysius ab Apostolo Paulo baptizatus, primus Atheniensium episcopus est ordinatus: deinde Romam veniens, a beato Clemente Romano Pontifice in Gallias praedicandi gratia directus est: et ad praefatam urbem deveniens, cum ibi per aliquot annos commissum sibi opus fideliter prosequeretur, tandem a praefecto Fescennino post gravissima tormentorum genera una cum sociis gladio animadversus, martyrium complevit.

[4]) Opinioni igitur de duobus Dionysiis, quae apud Graecos Latinosque antiquitus viguit, nec inter viros doctos quibus Urbanus VIII. curam Martyrologii reformandi commiserat, patroni defuerunt. At Congregatio causam istam nondum satis certam et ideo tempore postero decernendam arbitrata, mutationem in textu Martyrologii Gregoriani d. 9. Octobr., quocum consonat commentarius in lectionibus Breviarii obvius, faciendam omisit, quin tamen eruditas de quaestione controversa disceptationes proscripserit. Cfr. Prosp. *Lambertin.* De Serv. Dei Beatif. IV, 2. 13. n. 8 (ed. Prat. p. 528): Conradus *Janningus* egregius Continuator Bollandianus in apologia pro Actis Sanctorum edita Antverpiae a. 1695 pag. 12. ubi sermo est de factis historicis, quae aliquando occurrunt in lectionibus Officii approbatis a sacrorum rituum Congregatione, subiicit: „Fateor ex eiusmodi approbatione historiis auctoritatem accedere; neque ullus id negaverit Catholicus: at vero accedere talem, ut falsum subesse non possit historiis sub approbatione tali legi permissis, aut ut viri eruditi prohibeantur circa illas disputare, ab iisque ratione bona nixi dissentire, ne ipsa quidem sacra Congregatio praetendit. Patitur enim de facto, quaestionem agitari de S. Dionysio Parisiensium Patrono, an scilicet idem sit cum Areopagita, an vero diversus; item an a S. Clemente saeculo primo missus sit in Galliam, an tempore Decii saeculo tertio . .“ Utitur in praedictis verbis Janningus exemplo quaestionis de S. Dionysio, quo etiam usus est *Papebrochius.* In lectionibus etenim pro Ecclesia universali refertur, eum ex Areopagitis Judicibus, quorum Collegio adscriptus erat, praefectum fuisse Ecclesiae Atheniensium, et, cum Romam venisset, missum a Clemente Pontifice in Galliam causa praedicandi Evangelium:

sed nonnulli quidem cum Hilduino contendunt, vera esse omnia, quae in dictis lectionibus referuntur; nonnulli vero de eorum veritate dubitant cum *Gregorio Turonensi*, et Dionysium putant in Gallias missum esse tempore Decii Imperatoris circa medium saeculum tertium, ideoque Dionysium Parisiensem Episcopum non esse Dionysium Atheniensem seu Areopagitam; alii denique media quadam via gradientes Dionysium utique Parisiensem admittunt diversum esse ab Areopagita, sed tamen a S. Clemente in Gallias missum, quemadmodum videri potest in novissima dissertatione *Pagii* iunioris praemissa tom. 4. Breviarii Pontificum Romanorum (Antverpiae 1727). — Palmam autem prae caeteris meretur Commentarius de S. Dionysio Areopagita Ep. M. in Actis Sanctorum Octob. Tom. IV. ed. *Carnandet.* Par. 1866. p. 696 sq., cuius auctor ad conclusionem pervenit, quod Dionysius Areopagita a Parisiensi certissime est diversus.

LIV.

„Non equidem Gregorius XIII. multa laude alioquin dignus, postremam Ecclesiasticis tabulis emendationem decrevit, sed quantum potuit, emendatas prodire curavit, nec omnem exhaurire potuit, quam habet Romana Sedes in examinandis ecclesiasticis libris, auctoritatem. Ita acerrimi iudicii Pontifex Urbanus VIII. nostro saeculo demonstravit, qui Sulpicium Severum ex Romano Martyrologio expunxit.“ Hisce verbis Franciscus Maria Florentinius, praeclarus vetustioris Martyrologii ecclesiae occidentalis editor Lucensis,[1]) praecipuae alludit emendationi a reformatoribus Martyrologii Gregoriani sub Urbano VIII. factae, cui lucem afferunt, quae in Codice manuscripto 1240 Bibliothecae Barberinianae[2]) recensentur. Etenim in Congregatione die 27. m. Januarii 1628 coram Cardinali de Torres habita, cui praeter alios Fortunatus Scacchus, Bartholomaeus Gavantus, Terentius Alciatus et Hilarion Abbas sanctae Crucis in Jerusalem[3]) interfuerunt, postquam vetus elogium ex Martyrologio iussu Gregorii XIII. castigato Januar. 29 („Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, discipuli sancti Martini, virtutibus et eruditione conspicui“) productum atque inter Acta relatum est, de eodem Correctores hanc tulerunt sententiam, cuius tenorem una cum probationibus ex historica narratione Codicis Barberiniani nullis ambagibus involuta heic reddere iuvabit. „Videbatur hoc loco agi de eo qui scripsit vitam sancti Martini,[4]) qui tamen mortuus est Presbyter non Episcopus, et incidit in errores Origenis et Pelagii, licet resipuerit, testibus Gennadio, Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis, et Baronio in Annalibus. Fuit alius huius nominis Episcopus

Bituricensis, ex Antonio Democar in Catalogo Episcoporum Bituricensium, qui tamen non vixit nisi longe post sanctum Martinum Turonensem Episcopum, cuius fuit alioquin imitator, ex Petro de Natalibus. Quibus omnibus consideratis, decretum est deleri ea verba: „Discipuli sancti Martini", ut de Episcopo Bituricensi statim intelligatur Martyrologii textus, non de alio, discipulo sancti Martini, et scriptore vitae." Elogium igitur sic fuit contractum: Apud Bituricas sancti Sulpitii Severi Episcopi, virtutibus et eruditione conspicui.

---

[1]) Eruditus Lucas *Holstenius* Praefectus Vaticanae Bibliothecae suis litteris admonuit Franciscum Mariam Florentinium, qui incumbebat in editionem vetustioris Martyrologii Occidentalis Ecclesiae D. Hieronymo attributi, ut opus id ederet, putans eo modo corrigi posse nonnullos errores, qui post correctiones adhuc in Martyrologio nostro Romano exstare dicuntur. Litterae ipsae prostant in admonitionibus praeviis eiusdem Florentinii ad suum Martyrologium pag. 4. et ipsemet Holstenius nonnulla reliquit Annotata marginalia ad Martyrologium Romanum Em. Card. Baronii (post eius obitum Romae edita sunt a. 1663 in libro cui titulus: „Opuscula tria veterum Auctorum"); et Latinus Latini Viterbiensis in sua Bibliotheca sacra et profana edita Romae a. 1677 alias subiecit emendationes, quas fieri posse in examine Martyrologii existimavit. (Prosp. *Lambertin.* De Serv. Dei Beatif. IV, 2. 17 n. 7.)

[2]) Cfr. *Benedicti XIV.* Litterae Apostolicae de nova Martyrol. Rom. Editione ad Joannem V. Portugalliae Reg. n. XLVI.

[3]) Den Grund zur Handschriftensammlung der Sessoriana legte um's Jahr 1650 der Abt D. Ilarione *Rancati*, jener hervorragende Orientalist, der unter Paul V. zur Congregation für Revision der Syrischen Cultbücher gehörte und von Urban VIII. mit Uebersetzung der Vulgata in's Arabische betraut wurde. Letzterm Papst hatte er's zu verdanken, dasz eine grosse Anzahl Codices der berühmten Abtei Nonantola, deren Commendatario der Cardinal Antonio Barberini war, nach S. Croce kamen. (Zur Kirchengesch. d. XVI. u. XVII. Jahrh. p. 9. Cfr. *Tiraboschi* Storia della Litteratura Italiana T. VIII. Roma 1785. p. 345.)

[4]) Sulpicii Severi Libri qui supersunt rec. Carolus *Halm.* Vindobon. 1866. p. 109 sq.

LV.

Recognitionem Urbanianam excepit emendatio quam Martyrologium Romanum a Clemente X. subiit. Absoluta tamen ea est demum sub Innocentio XI., cuius auctoritate opus, insertis simul eorum nominibus qui a Summis Pontificibus usque ad

Innocentium XI. in Sanctorum numerum relati fuerant, a. 1681 typis R. Camerae Apostolicae exiit. Paulo autem ante, videlicet die 31. Augusti 1680, S. Rituum Congregatio ediderat de non apponendis in posterum in Martyrologio Romano nisi Sanctis canonizatis Decretum alterius Decreti a. 1616 confirmatorium et ita conceptum:[1] „Cum bonae memoriae Cardinalis Bellarminus in Congregatione sacrorum rituum habita die 30. Julii 1616 proposuerit nonnullos Impressores librorum cupere de novo Martyrologium Romanum imprimere, et in eo addere Sanctos illos et Beatos, qui post ultimam editionem seu impressionem dicti Martyrologii fuerunt canonizati seu declarati Beati; et eadem sacra Congregatio declaraverit iuxta mentem et ordinationem Sanctissimi Domini nostri Papae, in Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse Sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui fuerunt declarati Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii: nunc vero eadem sacra rituum Congregatio iussit, ut servetur in posterum praedictum Decretum de non apponendis in Martyrologio Romano nisi Sanctis canonizatis; et ita decrevit et servari mandavit."[2]

[1]) *Gardellini* Decreta Authentica Congregationis S. Rituum n. 2927. Ed. III. Vol. II (Romae 1856) p. 23.

[2]) Nihilominus, ex peculiari Summorum Pontificum indulgentia, beatorum aliquot nomina Martyrologio inscripta novimus. (*Ferraris*, Bibliotheca canonica etc. ed. *Migne*. Tom. V. p. 310. Cfr. Prosp. *Lambertin.* De Serv. Dei beatif. IV, 2. 18 n. 9.)

LVI.

Decretum quod modo attuli integrum, cohaeret cum dubitatione exorta seu potius disputatione excitata in S. R. Congregatione, dum agebatur de examine instantiae Postulatorum supplicantium pro descriptione nominis in Martyrologio Romano Beati Bernardi Ptolomaei (21. August.) et Beati Turibii Mogrobesii Archiepiscopi Limani (23. Mart.). Hanc enim per occasionem Prosper Bottinius pro munere quo fungebatur Fidei Promotoris, suum sensum scriptis exponere iussus, in peculiari dissertatione contendit, quod descriptio in Martyrologio Romano cultum ecclesiasticum eiusque extensionem importet; tum quia ex litteris Gregorii XIII. Martyrologio Romano praefixis clare

desumatur, Martyrologium in Choro legi ad Dei gloriam, ad laudem Sanctorum ipsorum quorum memoria celebratur, et ad fructum eorum qui legunt aut audiunt; tum quia eius lectio fiat ad Primam post Orationem „Domine Deus omnipotens“ et immediate (haud absque mysterio, sed in venerationem et cultum eorum quorum nomina lecta sunt) ab Hebdomadario dicatur: „Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.“ Quamvis autem haec Bottinii sententia plurimis probata sit, tamen haud defuerunt, qui cum Fatinello Camerae Apostolicae Clerico descriptionem de qua quaeritur, censuerint non ad cultum, sed ad memoriam gestorum pertinere,*) quum Gregorius XIII. in suis litteris Apostolicis dixerit se curasse, ut Romanum Martyrologium ad fidem historiae, quae rerum gestarum, personarum, locorum, temporum veritate continetur, ederetur. Itaque Cardinales sacris ritibus praepositi, quum in varias abirent opiniones, controversia non resoluta, sat habuerunt Decretum supra memoratum promulgare.

---

*) Si meus, qualiscunque sit, sensus in hac disputatione exquireretur, dicerem primo, descriptionem nominis alicuius in Martyrologio Romano ad historiam gestorum pertinere: quorsum etenim tenderent tot diligentiae, quae praemittuntur ante nominis descriptionem, totque Martyrologii correctiones, si descriptio ad finem historiae non esset referenda? Dicerem secundo, legendum utique esse in Choro Martyrologium Romanum, sed neque ex nominis descriptione, neque ex lectione in Choro, spectata utriusque rei natura, argumentum inferri ad publicum cultum auctoritate Ecclesiae demandatum aut permissum in universa Ecclesia . . Dicerem denique tertio, annuntiari in Martyrologio nomina et clariores res gestas eorum qui in eo descripti sunt, ut excitentur Fideles ad imitationem, et etiam ad cultum; sed intacta semper permanente ecclesiastica disciplina, ita ut, si res sit de iam canonizatis, cultus ad quem excitantur Fideles, sit praeceptivus, universalis et publicus; si vero agatur de beatificatis, sit quidem publicus, sed tantum permissus personis et locis Indulto Beatificationis comprehensis . . (*Lambertin.* De Serv. Dei beatif. IV, 2. 19 n. 16. Cfr. Em. de *Azevedo,* Exercitationes relectae Venet. 1783. p. 647 sq.)

LVII.

Labori ac studio Benedicti Papae XIV. accuratissimam debemus Martyrologii editionem, quae typis Vaticanis excusa a. 1749 cum Privilegio Summi Pontificis in lucem prodiit ita inscripta: „Martyrologii Romani Gregorii XIII. iussu editi

Urbani VIII. et Clementis X. auctoritate recogniti Nova Editio a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. Pontifice Maximo aucta et castigata, in qua nonnulla Sanctorum nomina in praeteritis Editionibus omissa supplentur: alia item Sanctorum et Beatorum nomina ex integro adduntur.“ Primum in ea locum occupant insignes Litterae Apostolicae ad Joannem V. Portugalliae et Algarbiorum Regem die prima Julii 1748 directae,*) in quibus Papa doctissimus causam et finem, rationem et utilitatem novae editionis exponit. A vestigiis quidem Gregorii XIII. et Urbani VIII. praedecessorum suorum nullo pacto sibi recedendum esse rati curae in Martyrologium Benedicti XIV. eo tandem contenderunt, ut quae post evulgatas correctiones supervacanea occurrerunt, resecarentur, quae vero defecerunt, superadderentur. Praeterquam autem quod nimiam in nonnullis Sanctorum Elogiis verbositatem duxit amputandam, ne Romanum Martyrologium sua fraudaretur integritate, quamplurimis Sanctorum nominibus ob typographorum indiligentiam pridem praetermissis novam iuxta tramites Decretorum ex Actis S. Rit. Congregationis collectorum locupletavit editionem eidemque aliquot Beatorum Martyrum, de quorum martyrio, miraculis ac cultu aliquibus Ecclesiis et Dioecesibus permisso, diligenti habita discussione plane constabat,. nomina adiecit. Porro quum eos inter, quorum nomina Romano Martyrologio sunt consignanda, praecipuo quodam iure locum sibi vindicent Sancti, de quorum canonizatione exstant Apostolicae Litterae plumbeo signo munitae, Benedictus eiusmodi Constitutiones tempore utriusque correctionis sub Gregorio et Urbano absolutae adhuc impervias ac demum insequentibus annis ex ignorantiae tenebris erutas non neglexit, unde nova facta est accessio novae editioni, in qua insuper nomina Beatorum recentiori aevo relata in Canonem Sanctorum fuerunt descripta.

---

*) Eaedem reperiuntur etiam insertae in Bullario *Benedicti XIV.* Tom. II (ed. *Prat.* 1846) p. 362 sq. et praefixae exemplaribus Martyrologii Romani *Pio Papa IX.* auspice et patrono a. 1873 in Typographia Polyglotta S. C. De Prop. F. impressis; in qua quidem editione Romana novissima Ratisbonae a. 1874 exacte recusa simul exstant Sanctorum et Beatorum Elogia pro Ordinibus Regularibus a S. Rit. Congregatione adprobata.

LVIII.

Diffusa per Urbem fama, novam Martyrologii Romani editionem adornari, multorum excitata sunt studia, scripturis admota manus, preces additae, ut haud pauca Beatorum nomina cultu immemorabili nobilitata in novas Martyrologii tabulas converentur. At quum non liceat in Martyrologium referre nomina illorum qui post sedulum super virtutibus atque miraculis examen solemni ritu in Beatorum dumtaxat numero recensentur, potiori iure nefas fore arbitratus Martyrologio illos accensere, qui ex nuda cultus immemorabilis approbatione Beatificati dicuntur per aequipollens, Benedictus petitiones istas reiecit; et sane Romanum Martyrologium, si ei omnia adiicerentur eorum nomina, quorum cultum immemorabilem S. Rit. Congregatio probavit et quorum numerus in dies magis adaugetur, brevi in maximum excresceret volumen. Graviorem autem curam Summo Pontifici excitasse videntur vota Eruditorum, qui Acta Sanctorum a Bollandianis edita, plura item vetera Martyrologia, Mabillonii porro Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti aliaque monumenta manu nocturna diurnaque versantes uberem Indicem exhibuerunt, ut nova Romanum Martyrologium ditesceret illorum copia Sanctorum, qui ex veteri more ac ritu priscis Ecclesiae temporibus observato, priusquam Apostolica Sedes beatificationum et canonizationum causas sibi dumtaxat cognoscendas et definiendas reservasset, in Sanctorum catalogum fuerant relati. Verumtamen et haec postulata Benedictus dimisit inania, haud inficiatus, Martyrologio esse inscribendos non solum iuxta recentem Ecclesiae disciplinam, sed etiam iuxta veterem Ecclesiae ritum in Sanctorum numerum relatos. Nemini enim usum antiquiori aevo in more positum introspicienti non liquere censuit, eos Sanctorum fastis fuisse adscriptos, quorum cultus suam novit originem ab approbatione episcoporum, in quorum dioecesi Servi Dei ex hac vita ad coelestem patriam translati sunt: hinc paulatim ex una ad aliam ecclesiam tandemque in universum orbem catholicum cultus ille diffusus est, non sine expressa aut saltem tacita Romani Pontificis consensione. Sanctorum autem nomina in oblato elencho designata, quum cultus eiusmodi carerent praerogativa, in Martyrologium transferre non placuit. Neque ab hac sententia animum Pontificis divellere potuerunt exempla ex ipso

Romano Martyrologio producta Sanctorum, qui supremum diem in Domino clauserunt, quum adhuc vetustior illa de Sanctorum canonizatione vigeret disciplina, quamvis eorum cultus extra unius vel alterius Dioecesis fines numquam protensus fuerit. Nam Benedictus sibi proposuerat, ut in adornanda nova Martyrologii editione salvaret anteactas eiusdem correctiones servaretque regulas post illas emendationes statutas. Atvero recessisset a praestitutis regulis et extra tritam semitam — id quod noluit — pedem extulisset, si aut Beatorum nomina, aut memoriam Sanctorum qui iuxta veterem Ecclesiae ritum vel iuxta recentem Ecclesiae disciplinam in Canonem relati non sunt, Romano Martyrologio inscripsisset.

LIX.

Praeclara Epistola ad Joannem V. data quae sat multas implet paginas, inde a n. XIX iam in eo versatur, ut emendationes aliquot locorum Martyrologii a viris doctis propositas excutiat et speciales de Clementis Alexandrini, Sulpitii Severi, Theodori, Siricii nominibus diiudicet controversias. Quoad quidem Clementem, magnopere dolendum est,[1]) nec veterum scriptorum de theologi Alexandrini sanctitate et doctrina suffragia nec Martyrologia Usuardi, Maurolyci, Galesinii, aliorum, in quibus quarta Decembris die occurrit memoria S. Clementis, Benedictum induxisse in sententiam eorum, qui Clementis nomen a Correctoribus sub Gregorio XIII. expunctum in Martyrologium Romanum putant esse restituendum. In controversia autem de Sulpitio Severo Summus Pontifex ab obloquiis istorum qui impensius Gregorianae favent emendationi, vindicat Elogium a. d. 29. Januarii contractum per Martyrologii sub Urbano VIII. Reformatores praeposteram personarum commixtionem, quae a Guiberti Martini abbatis Gemblacensis Apologia duxit originem, ita amolitos, ut quaestionem de Sulpitio Severo S. Martini discipulo in Martyrologium inferendo ad examen non vocarent, sed ambiguam relinquerent. Ad Theodorum vero quod attinet, cuius expressa fit mentio in gemino Martyrologio Florentino, altero Magni Ducis Etruriae, altero Senatoris Strozzi, contra Bollandianos[2]) mirantes nullis aliis fastis, maxime Romanis, eiusdem Theodori Papae nomen insertum reperiri, monet Benedictus, Correctores Romanos

non transtulisse in Martyrologium nomina Sanctorum nisi quae ex veteribus probatisque Martyrologiis petebantur. Porro tantam auctoritatem recensitis Martyrologiis conciliandam non esse arbitrati, quum alia deficerent monumenta, uni illorum Codicum fidei acquiescere noluerunt. Denique admodum prolixam subiungit doctissimus Pontifex de controversia Siriciana disputationem, in qua cumprimis ea expendit quae Siricii favent sanctitati; quo spectant argumenta ab opinione et fama sanctitatis, ab eius virtutibus ac probatae fidei Martyrologiis petita. Deinde quae contra Siricium obiici solent, quibus fortasse innixi Correctores sub Gregorio XIII. nomen Siricii reiiciendum censuerunt, enumerat ac confutat. Causa igitur satis cognita ac validis rationibus et monumentis quae Siricii sanctitatem demonstrant probe discussis, Benedictus XIV. Siricii nomen Martyrologio Romano inscribendum mandavit.[3])

---

[1]) Difficultates quae obstiterunt, quominus *Clemens Alexandrinus* in Martyrologio Gregoriano locum obtineret debitum, non adeo graves ut superari nequeant mihi esse videntur. Etenim si veterum scriptorum de moribus ac vita Clementis obtenditur silentium, pauca sane fatemur de presbytero Alexandrino momenta biographica nobis esse tradita, atqui plura quam de multis aliis quorum nomina in sacras tabulas sunt illata. (Cfr. *Reinkens,* De Clemente Presbytero Alexandrino. Vratisl. 1851. Cap. I et op. m. inscr. „Clementis Alexandrini de λόγῳ doctrina“ Lips. 1855. Prolegom. p. 3 sq.). Jam S. Alexander Hierosolymitanus, cuius elogium in Martyrologio Romano quintodecimo Kalendas Aprilis habetur, non solum in epistola ad Antiochenses (Euseb. Hist. Eccl. VI, 11) beatum presbyterum Clementem, virum virtute praeditum et probatum, testatur ecclesiam Christi et confirmasse et auxisse, sed etiam in litteris ad Origenem datis (l. c. VI, 14) pari pietatis et venerationis affectu eundem Pantaenum τὸν μακάριον, cuius mentio fit Nonis Julii in Martyrologio Romano, ac Clementem τὸν ἱερὸν praedicat. Etsi autem ultro daremus hoc ipsum epitheton innuere Clementem potius sacrum quam sanctum, necnon Sancti denominationem primis Ecclesiae temporibus religionis potius quam christiani profitebantur, quam probati cuiusque moris indicium fuisse, eximiam tamen Clementis sanctitatem praeter Alexandrum unanimiter confirmant Epiphanius, Theodoretus, Auctor Chronici Paschalis, Maximus, Joannes Damascenus (Cfr. Veterum Testimonia in Clem. Al. Opp. ed. Migne. Par. 1857. Tom. I. p. 33 sq.). Porro nolumus quidem cum Georgio provocare ad Martyrologii Adonis exemplaria, in quibus post S. Aviti memoriam ita legitur: „Alexandriae beati Clementis Presbyteri, qui in divinarum eruditionum scholis quammaxime effloruit,“ quum Codices de quibus agitur tres Vaticani saeculis demum XI. et XII. exarati sint; imo concedimus Usuardum fuisse primum qui Clementis nomen in suum Martyrologium intulerit, Patrum veterum de Clemente testimoniis innixum. Quum vero constet lectionem Usuardini Martyrologii ad omnes fere eccle-

sias, etiam ad Romanam, esse propagatam, nec minus constet saeculo adhuc decimo sexto Julium Papam Tertium approbasse Martyrologium Alexandri de Peregrinis, in quo Pridie Nonas Decembris Sanctus Clemens Presb. Al. memoratur, huius utique nomen per longam saeculorum seriem reperiebatur descriptum in Martyrologio, quod vetustissimo Ecclesiae more legitur ad Dei gloriam et ad Sanctorum ipsorum quorum memoria celebratur laudem. Sin autem annuntiantur in Martyrologio nomina et res gestae eorum qui in eo descripti sunt, ut excitentur Fideles ad imitationem et etiam ad cultum, saltem indirecte licet concludere per plura saecula cultum Clementi fuisse exhibitum. Neque tandem inexplicabiles ingerit difficultates Gelasii Papae Decretalis, cuius in capite IV nobis occurrunt „opuscula alterius Clementis Alexandrini apocrypha" (*Thiel*, Epist. Rom. Pontif. I, 467); nam quamvis effugium seu hypothesis de duobus Clementibus Alexandrinis cognominibus mihi haud probetur et quamvis de notione apocryphorum definienda non omnes idem sentiant, Gelasii tamen censura proscribit quae circumferebantur spuria aut interpolata, non sincera et genuina opera Clementis, quem S. Cyrillus Alexandrinus (contra Julianum VI, 205) ubique sanctos apostolos esse secutum (*τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις ἑπόμενος πανταχοῦ*) asserit, cuius S. Hieronymus (Catal. Script. Eccles. c. XXXVIII) plena eruditionis et eloquentiae tam de scripturis divinis quam de secularis literaturae instrumento volumina laudat et de quo idem Sanctus Doctor in epistola Magno Oratori inscripta c. 4: „Clemens," inquit, „alexandrinae ecclesiae presbyter, vir meo iudicio omnium eruditissimus, octo scripsit Stromatum libros et totidem *ὑποτυπώσεων* et alium contra gentes, paedagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, imo quid non de media philosophia est?" Nusquam autem nec Hieronymus nec alii sancti Ecclesiae Patres offenderunt errores quibus fuerint aspersa Clementis scripta germana; recentiorum vero doctrinae Clementinae adversariorum argumenta rationibus validioribus confutata haud semel ac retorta sunt.

[1]) Act. SS. Tom. III. m. Maii d. 14.

[2]) Romae sancti Siricii Papae et Confessoris, doctrina, pietate et religionis zelo praeclari, qui varios damnavit haereticos et disciplinam ecclesiasticam saluberrimis decretis instauravit. (Martyrol. Rom. Sexto Kalendas Decembris.)

LX.

Pro complemento huius nostrae commentationis nihil aliud remanet, quam ut adducamus et lustremus Generale quod controversiae circa SS. Domnum, Domnionem et Eusebiam[1]) occasione a. 1870 promulgatum est iussu Pii Papae Noni Decretum pro cultoribus historiae ecclesiasticae et sacrae archaeologiae agentibus de Sanctis, qui in possessione sunt publici cultus a Sancta Sede recognita et adprobata.[2]) Quum scilicet clarus

P. Victor de Buck e Societate Jesu, in archaeologicis disquisitionibus exercitatissimus, Observationum de phialis rubricatis quibus Martyrum Romanorum sepulcra dignosci dicuntur auctor,[3]) anno 1867 in volumine duodecimo Actorum Sanctorum Bollandianae Collectionis ad diem 29. Octobris commentarium edidisset „De S. Eusebia Virgine culta ut martyre Bergomi in Italia" inscriptum in eoque plura congessisset argumenta, quibus tam S. Eusebiam quam SS. Domnum et Domnionem martyres haud esse videbatur sibi persuasisse, ac dubia saltem de traditionis martyrii genuinitate movisset, definitivo tamen hac de re iudicio S. Congregationi Rituum remisso, R. D. Petrus Aloisius Speranza Episcopus Bergomensis omnem adhibuit curam, ut quae in dubium posita fuerant adversus Bergomensis ecclesiae traditionem in suam lucem restituerentur, veritus ne per opinionem in Actis Bollandianis assertam scandalum afferretur fidelibus sibi commissis, qui SS. Eusebiam, Domnum et Domnionem Civitatis Bergomensis patronos minus principales insigni devotionis ac pietatis sensu honorare consueverunt. Itaque postquam Petro Uccellio, qui iam annis 1850 et 1851 duo emiserat opuscula „Dell' autenticità dei corpi e degli atti dei Santi Martiri Domneone, Domno ed Eusebia", quaestionem denuo excutiendam delegaverat omniaque documenta et scripturas ad probandam genuinitatem traditionis Bergomatium idoneas collegerat, praefatus Episcopus supplici dato libello Sacrorum Rituum Congregationem adiit deprecatus, ut ipsa huius negotii examen susciperet ac decerneret, quid esset sentiendum de vi argumentorum in Bollandiani Scriptoris commentario allatorum.[4]) De more autem S. Congregatio votum Consultoris in materiis archaeologicis periti exquisivit, qui inde praesertim quod Acta martyrii exstarent a scriptore saeculi quinti vel sexti repetenda omnibusque veritatis historicae indiciis praedita traditionem putabat genuinam eandemque per saecula una cum cultu perennem aetate nostra non posse destrui per coniecturas carptim expiscatas concludebat. Hisce aliisque perquam erudite utrinque deductis, in ordinariis comitiis S. Congregationis die 20. Augusti 1870 ad Vaticanum habitis sequens est propositum Dubium discutiendum, nimirum: „An argumenta allata a Patre de Buck probent in casu?" Cardinales porro sacris tuendis Ritibus praepositi licet prae oculis habuerint summam utilitatem quam Ecclesiae Catholicae attulit magna Bollandiana Collectio adversus heterodoxorum de cultu Sanctorum commenta, tamen accuratissime perpensis omnibus documentis ad Causae Bergomensis elucidationem copiose adductis, hanc

edixere sententiam, videlicet: „Argumenta allata a Patre de Buck adversus traditionem, quae respicit Sanctos Martyres de quibus agitur, nihil probant.“ [5])

---

[1]) Cfr. M. R. dd. 16. Jul. 29. Octobr.

[2]) *Acta Sanctae Sedis* in compendium opportune redacta et illustrata studio et cura *Petri Avanzini.* Vol. VI. Romae 1870. p. 83 sq.

[3]) Cfr. F. X. *Kraus*, Roma Sotterranea p. 455 sq.

[4]) Cfr. Compendium facti et Disceptatio synoptica in Act. S. Sedis VI, 67 sq.

[5]) Inde Petrus *Avanzini* (Acta S. Sed. VI, 81) haud immerito haec colligenda esse censet:

I. Historicas ecclesiarum traditiones cultum Sanctorum respicientes, maxime si aliqua recognitione S. Sedis admissae fuerint, frustra impugnari aut in dubitationem adduci per genericas coniecturas ex archaeologicis disquisitionibus deductas.

II. Praesumptio enim genuinitatis veteris traditionis tam valida iure meritoque existimari debet, ut destructa non censeatur, nisi argumenta afferantur quorum vis declinari non possit.

III. Immo, legibus logices praelucentibus, neque peremptoria contraria argumenta destruere possent omnem impugnatae traditionis extensionem et amplitudinem; sed tantum destruere, quantum falsum aut corrigendum esse ostenderent.

IV. In huiusmodi enim criticis disquisitionibus eaedem sapientes leges valere dicendae sunt, quas in iuridicis disquisitionibus de bonorum iuriumque possessione Romanae leges tradiderunt; ex quibus principium derivavit: „melior est conditio possidentis.“

V. Quare in themate neque opus fuisset pro genuinitate traditionis Bergomensium martyrum nova argumenta conquirere; sed satis superque fuisset argumenta opposita declinare vel per simplicem negationem vel per probabiles hypotheses.

VI. Immo argumenta contra traditionis genuinitatem in themate allata, rite expensa, quamquam erudite exposita, adeo levia visa sunt, ut neque hypothesibus opus esset, ut diluerentur.

LXI.

In Causa Bergomensi, quam perstrinximus, proponenda significatum quoque est S. R. Congregationi, a nonnullis aetatis nostrae eruditis ecclesiasticae historiae aut sacrae archaeologiae cultoribus ad coniiciendum et divinandum proclivioribus nonnulla alia fidenter nimis nimiaque facilitate esse edita, quae adversantur historicis traditionibus in Romano Martyrologio admissis, quod constat quantum ad illud caute emendandum adlaboraverint

viri doctissimi Caesar Baronius et Benedictus XIV., et quam caute in eiusmodi emendationibus sit procedendum. Unde factum est, ut Summus Pontifex Resolutionem die 20. Augusti 1870 latam non solum confirmaret Calendis Septembris eiusdem anni, sed etiam clausulam adiiceret, quam ipsis Decreti Generalis verbis heic subiungimus: „Facta autem de praedictis per infrascriptum Sacrae eiusdem Congregationis Secretarium (Dominicum Bartolini) SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est. Mandavit insuper, ut admoneantur omnes cultores studiorum historiae ecclesiasticae et sacrae archaeologiae, ut quandocunque agitur de Sanctis vel Beatis qui, approbante Sancta Sede, sunt in possessione publici cultus ecclesiastici, caute se gerant,*) ac prae oculis habeant regulas hac de re traditas a Benedicto XIV. in Litteris Apostolicis de nova Martyrologii Romani editione n. 2 et 18: De Servorum Dei Beatificatione et Canonizatione Lib. IV. Part. II. Cap. XVII. n. 9 et 10. Ibidem Lib. IV. Part. II. Cap. XIII. n. 7 et 8, ubi agitur de Breviario Romano."

---

*) Animadvertisse sufficiat, in hac commendatione agi tantum de auctoritate Martyrologii et Breviarii Romani ad statuendam legitimitatem cultus quibusdam Sanctis tributi. (C. *De Smedt,* Introd. Gener. ad Hist. Eccles. p. 192.)

LXII.

Coronidis igitur loco Regulae Benedictinae, ad quas Decretum Generale remittit, nobis erunt allegandae. In litteris quidem Apostolicis quarum initium est, Postquam intelleximus, Calendis Julii 1748 ad Joannem V. Portugalliae Regem datis,[1]) ubi multas gravesque circa Romanum Martyrologium controversias innuit (n. 2), Benedictus XIV. eas agitari ait ab aliis quos scientia inflat, inexplebili quadam dubitandi prurigine, ab aliis qui ad sobrietatem sapiunt, eo consilio ut quae subobscura sunt vel incerta, nova quadam veritatis luce donentur. Hanc autem sobrietatem indirecte laudans haud inficiatur (n. 18) fas aliquando Sedem Apostolicam adire atque illi, ea qua decet animi demissione, proponere errati alicuius quod in Martyrologium irrepsit

emendationem. „Hinc," inquit, „non defuere, qui huiusce libertatis praetextu, leviorem quandam Romani Martyrologii recensionem obtineri posse putarint. Non enim, ut ipsi aiebant, aut Nostro consilio, aut Nostro id repugnat instituto de servandis correctionibus pridem habitis; siquidem unius vel alterius loci immutatio usque adeo levis est, ut nullo aut fere nullo habeatur in pretio."

Jam vero in opere de Servorum Dei Beatificatione et Beat. Canonizatione L. IV. P. II. c. 17 n. 9 et 10[2]) haec ad rem nostram continentur. Auctor posteaquam (n. 4—8) eximiam Romanorum Pontificum diligentiam, ut accurata fieret et omnibus numeris absoluta editio Martyrologii Romani, ostendit, eorum iniicit mentionem, qui adhuc in eodem Martyrologio contendunt errores superesse corrigendos. Nec potissimum agitur de erroribus qui incuriae aut malitiae typographorum,[3]) sed qui compositoribus et correctoribus Romani Martyrologii adscribi possunt. Praeter fictitiam autem Xynoridem,[4]) cuius nulla amplius habenda est ratio, Benedictus exempla istiusmodi tria affert S. Firmi Tagastensis (31. Jul.), S. Theodoti Laodiceni (2. Novembr.) et Translationis S. Bartholomaei (25. August.). Jam si Bollandiani[5]) factam a Baronio in Martyrologio Romano appositionem nominis Firmi improbare videntur, quippe quod in nullo alio praecedenti Martyrologio legeretur, luculentum sanctitatis Firmi testimonium desumitur ex S. Augustino,[6]) qui Tagastensem episcopum nomine Firmum firmiorem voluntate fuisse, licet passum multa corporis tormenta, narrat. Sin vero Valesius[7]) aliique Theodoti utpote Arianarum partium praecipui fautoris nomen delendum e sacris tabulis putant, Episcopum Laodicenum Arii fautorem non Theodotum, sed Theodorum fuisse appellatum Labbeus, Cossartius et Harduinus censent; Theodotus autem ille, quem Eusebius[8]) laudat et cuius tanquam sanctitate conspicui mentio habetur iam in antiquioribus Martyrologiis, mortuus est, antequam haeresis Ariana prodiit. Ergo nec in Firmo nec in Theodoto Martyrologium Romanum erroris argui et quod eidem opponitur facile refelli posse constat. At aliter res se habet quoad translationem reliquiarum seu corporis S. Bartholomaei Apostoli a civitate Beneventana ad Urbem, quam vehementer impugnavit Cardinalis Vincentius Maria Ursinus primum Archiepiscopus Beneventanus, deinde ad summum Pontificatum evectus nomine Benedicti XIII. in dissertatione de Reliquiis S. Bartholomaei edita etiam Romae 1724 in Appendice ad Concilium quintum provinciale Beneventanum.[8a]) Quid vero de hac et aliis consimilibus controversiis

Martyrologium Romanum respicientibus dicendum sit, Benedictus XIV. iudicium ferre noluit et sat habuit animadvertere:

a) per haec non minui auctoritatem Martyrologii Romani, opera tot illustrium virorum emendati;

b) etsi aliqua in Martyrologio occurrant correctione digna, non esse cuiusque agere censorem, sed Ecclesiae iudicium est exspectandum. Insuper monet

c) aliud esse canonizationis iudicium, aliud appositionem nominis in Martyrologio Romano; atque adeo ab errore, qui forte contigerit in Martyrologio Romano, non recte inferri, in iudicio quoque canonizationis errorem contingere posse. Postremo asserit

d) Apostolicam Sedem non iudicare, inconcussae esse et certissimae veritatis quaecunque in Martyrologium Romanum inserta sunt; quod et optime colligitur ex mutationibus et correctionibus a sancta ipsa Sede demandatis.

„Nec vero urgent (sic prosequitur n. 10) Apostolicae litterae Gregorii XIII. Martyrologio Romano praefixae, in quibus dicitur emendatum fuisse Romanum Martyrologium, idque esse legendum in Choro, nec aliud ulla in re minutum aut mutatum esse edendum. Ex hoc etenim recte non infertur, omnes et singulos errores fuisse a Martyrologio sublatos; nec viris in ecclesiastica historia peritis prohibitum dici potest confugere ad sanctam Sedem, si novae correctionis fundamenta suppetant: quod ex ipsa colligitur sanctae Sedis disciplina, quae etiam post litteras Apostolicas supra memoratas Gregorii XIII. novas Martyrologii correctiones demandavit et admisit. Exemplum habemus in Decreto Gratiani.. Praefixae sunt Decreto Gratiani emendato Apostolicae litterae Gregorii XIII. quibus testatur, libros iuris Canonici, et ideo Decretum Gratiani, fuisse suo mandato recognitos, correctos et expurgatos; nec quidquam iis addendum, detrahendum de iis, in iisve commutandum aut invertendum, sancitis poenis adversus eos qui non parerent. Attamen cum, his minime refragantibus docti viri multa adhuc post Gregorianam correctionem emendanda censeant in opere Gratiani, uti videri potest apud Doujatium in praenotation. canon. lib. 4. cap. 13. n. 3 etc. ne quid dicam de fratribus Pithoeis, qui universum opus diligentissime ad ipsos usque apices expendentes singula loca recognoverunt et primigeniis Auctoribus restituere conati sunt; poterit unusquisque facili negotio deprehendere, praecedentes operis correctiones Pontificia auctoritate vallatas iure suo non obsistere ulteriori correctioni, eiusdem sanctae Sedis iudicio debito cum obsequio submittendae.“ [9])

Praefatum generale Pii IX. Decretum cultores studiorum historiae ecclesiasticae et sacrae archaeologiae tandem reiicit ad ea, quae in eodem opere de Canonizatione Lib. IV. P. II. C. XIII n. 7 et 8 [10]) leguntur; ubi auctor, loquendo de Breviario Romano, Gavantum citat, qui [11]) exponens correctionem secundarum lectionum Breviarii, in quibus Sanctorum historiae referuntur, factam a Cardinalibus Baronio et Bellarmino tempore Clementis VIII., testatur eis perdifficile visum fuisse, „ad Historiae veritatem bona fide restituere Sanctorum lectiones, idque minima quae fieri potuit mutatione; immo quae controversa erant, alicuius tamen gravis Auctoris testimonio suffulta aliquam haberent probabilitatem, retenta sunt eo modo quo erant, cum falsitatis argui non possint, quamvis fortasse altera sententia sit a pluribus recepta.“ [12]) Ex hac autem ingenua confessione nonnullos Benedictus XIV. innuit ansam arripuisse acriter obloquendi Breviario Romano, item asserendi, id fabulis esse repletum eiusque auctoritatem in factis historicis esse omnino spernendam; aliis contra, adversum Ecclesiae Romanae sensum sustinentibus, impium esse et quasi haereticum de factis historicis in Breviario Romano relatis dubitare, et multo magis iis refragari. „Sed,“ inquit (n. 8), „quatenus per mediam viam quae tutior est, incedendum sit, videtur quidem tuto pede asseri posse, non modicum auctoritatis pondus factis historicis accedere, quae relata sunt et approbata in Breviario Romano (ecquis enim de hac assumptione poterit dubitare, postquam certum est, Breviarium Romanum pluries fuisse recognitum atque emendatum, habito tot virorum pietate et doctrina illustrium consilio?), attamen ita ut vetitum existimari non possit, debita cum modestia et gravi fundamento, quae occurrunt in factis historicis, difficultates exponere easque iudicio Sedis Apostolicae supponere, ut eorum veritatem et robur perpendat, si quando manus iterum admoveatur ad Breviarii Romani correctionem: [13]) quae ipsa videtur esse sententia plurimorum, qui de historiis relatis in nonnullis lectionibus secundi Nocturni Breviarii Romani dubitare visi sunt.“ Memorat Bollandianos, qui non dubitarunt de sanctitate S. Venantii Martyris, dubitarunt de sinceritate Actorum ex quibus secundae lectiones Breviarii Romani desumptae sunt, et accusati de irreverentia erga Romanum Breviarium professi sunt, se utique debito obsequio venerari quae in citatis lectionibus continentur quaeque approbata fuerunt a sacrorum rituum Congregatione, praevio maturo consilio, sed ipsis rerum origines perscrutantibus aditum praeclusum non esse suarum dubitationum fundamenta recensendi. [14]) Cum Papebrochio

sibi oppositum fuisse tanquam aliquid haeresim sapiens, quod fuerit refragatus nonnullis factis particularibus in Breviario Romano relatis, conquesto semetque tutato Benedictus XIV. exemplum porro affert Emmanuelis a Schelstrate bibliothecae Vaticanae Praefecti, qui in „Antiquitatibus illustratis“ non omnino consensit iis quae in Breviario referuntur de S. Dionysio Areopagita.[15]) Magnam attingit controversiam inter Gallonium[16]) Presbyterum Oratorii Romani et Constantinum Monachum Cassinatem de Monachatu S. Gregorii, in qua Constantino eum asserenti et comprobanti lectionibus Breviarii Romani responsum est a Gallonio, Romanam Ecclesiam non omnia quae in eius Breviario sunt, habere pro divinis et canonicis, sed lectiones dumtaxat desumptas a sacra Scriptura. Quaestioni de tribus Mariis a Calmetio disceptatae addit lapsum S. Marcellini Papae et Martyris a fide commemoratum in quinta lectione Officii de eodem ad diem 26. Aprilis in Breviario Romano, quem tamen commentitium unacum fictitio Concilio Sinuessano dudum probarunt Tillemontius, Natalis Alexander, Pagius aliique. Et quemadmodum de translatione corporis S. Clementis,[17]) ita impune inter Eruditos ait Lambertinius adhuc disputari, utrum Constantinus Imperator fuerit Romae baptizatus a S. Silvestro, ut habetur in lectionibus Breviarii Romani, an in exitu vitae suae baptismum receperit in quodam suburbio civitatis Nicomediensis, uti scriptum reliquit Eusebius Caesariensis testis oculatus „de Vita Constantini“ lib. 4. cap. 61 et 62; necnon, an veritati consentanea sint ea, quae referuntur in lectionibus Officii S. Catharinae Virginis et Martyris, quae multis rationibus impugnantur ab Hadriano Valesio in Posthumis pag. 48. Demum denuo cum Benedicto XIV. laudamus Benedictum XIII., qui adversatus iis quae in Martyrologio ac Breviario Romano de corpore S. Bartholomaei traduntur, opposita sibi auctoritate Breviarii, in articulo septimo dissertationis iam supra citatae ita respondit: „Maximae quidem auctoritatis esse Breviarium Romanum in iis quae per sese ad cultum Ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis aut gestis, quae in vita Sanctorum ex occasione referuntur, ita ut efficax inde argumentum peti non possit, ubi praesertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quae iis utitur, inconcussae infallibilisque veritatis iudicat quaecunque Breviariis suis sunt inserta, cum multoties pro variis temporibus varia ex occasione ea mutaverit correxeritque.“

---

[1]) Cfr. supra LVII sq.

[2]) *Bened. XIV.* Opp. ed. Prat. IV, 564 sq.

3) quibus S. Rit. Congregatio saluberrimis Decretis obstitit. Cfr. l. c. n. 11 p. 567.

4) Cfr. supra XXIX n. 4 p. 46.

5) AA. SS. Tom. VII. Jul. ad d. 31. p. 120.

6) De mendacio Lib. c. XIII n. 22. 23. Opp. S. *Augustin.* ed. Migne. T. VI. p. 504: „Quanto ergo fortius, quanto excellentius dices: Nec prodam nec mentiar? Fecit hoc Episcopus quondam Thagastensis Ecclesiae, Firmus nomine, firmior voluntate. Nam cum ab eo quaereretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia quanta poterat occultabat; respondit quaerentibus nec mentiri se posse nec hominem prodere, passusque tam multa tormenta corporis (nondum enim erant Imperatores christiani), permansit in sententia. Deinde ad Imperatorem ductus, usque adeo mirabilis apparuit, ut ipse homini quem servabat, indulgentiam sine ulla difficultate impetraret. Quid hoc fieri potest fortius atque constantius?"

7) *Henrici Valesii* Dissertatio de Martyrologio Romano quod edidit Rosweydus (Annotationes in Histor. Eccles. Eusebii Caesar. ed. Mogunt. 1672. p. 317): Jam vero illa quae in dicto Martyrologio leguntur die secundo Novembris: „Laodiceae Theodoti Episcopi qui arte medicus fuit," descripta sunt ex Rufini libro 7. capite ultimo. Sed compilator iste non animadvertit, Theodotum hunc Laodiceae Episcopum, cuius eo loco laudationem intexuit Eusebius, Arianarum partium praecipuum fautorem fuisse: quippe qui et ab initio Arianum dogma tutatus sit, et post Nicaenum Concilium conspiratione cum Arianis facta Eustathium de Antiochena sede deiecerit, ut scribit Theodoretus in lib. 1. historiae cap. 24. Hic est Theodotus cui Eusebius libros suos de praeparatione Evangelica nuncupavit, et cuius meminit Suidas in voce *ἀπολινάριος*. Non ignoro in Bedae, Usuardi et aliorum Martyrologiis hunc Theodotum eo quem dixi die nominatum reperiri; sive illi ex Rufino, sive ex istius Martyrologii compilatore imprudenter id hauserint. Idem quoque error irrepsit in Martyrologium Romanum, quod patrum memoria iussu Xysti quinti editum et Baronii notationibus illustratum est. Nec satis mirari possum, quonam modo id Baronii diligentiam fugerit.

8) *πράγμασιν αὐτοῖς ἀνὴρ καὶ τὸ κύριον ὄνομα καὶ τὸν ἐπίσκοπον ἐπαληθεύσας.* *Euseb.* Hist. Eccl. VII, 32 p. 600 m. rec.

8a) Cfr. Vita et Martyrium S. Bartholomaei Ap. ex sinceris fontibus Armeniacis in ling. lat. conversa a G. *Moesinger* (Salisburgi 1877) p. 44 sq.

9) Analogica est quaestio de authentia *Vulgatae.* Cfr. Carol. *Vercellone*, Variae Lectiones Vulgatae Latinae Bibliorum Editionis (Romae 1860 sq.) Tom. I. Praef. p. CVIII („Interim lectorem rogamus, ut obiter animadvertat, singulas huius nostri operis paginas reipsa luculentissime retundere calumniam heterodoxorum, qui Romanam Ecclesiam errores librariorum tanquam veram lectionem ita comprobasse affirmant, ut iam nobis non liceat de vera versionis lectione sollicitos esse, sed quamvis lectionem, etiamsi a textu graeco et hebraico aberret, pro vera nobis agnoscendam esse. Haec, inquimus, re ipsa nostro volumine satis superque refutantur. Neque enim nobis fas esset varias lectiones expendere, si catholica Ecclesia cui ex divina institutione Romanus Pontifex praeest, vel errores librariorum comprobasset vel quamlibet vulgati lectionem pro vera ita habendam iussisset, ut numquam vel minimus error ei subesse

possit") et Jo. Bapt. *Franzelin*, Tractatus de divina Traditione et Scriptura (Romae 1870) p. 498 sq.

[10]) ed. *Prat.* IV, 525 sq.

[11]) Comm. ad Rubr. Brev. Rom. V, 12. 16. Cfr. lib. m. inscr. „Coelestis Urbs Jerusalem" p. 88 sq.

[12]) Cfr. m. Anecdot. Baronian. p. 279 sq.

[13]) Cfr. quae in Bibliotheca *Corsiniana* asservantur „Acta et scripta autographa in S. Congregatione particulari a Benedicto XIV. deputata pro reformatione Breviarii Romani a. 1741 in tres tomos distributa et appendicem. Collegit ea Ludovicus de *Torrentibus*, Secretarius dictae Congregationis, et dedicavit Nerio Corsini Cardinali." (*Roscovany*, Coelibatus et Breviarium, duo gravissima clericorum officia e monumentis omnium saeculorum demonstrata. Pest. 1861. V, 532 sq.)

[14]) Cfr. Ferd. *Probst*, Brevier und Breviergebet (Ed. 2. Tubing. 1868) p. 104.

[15]) Cfr. supra LIII n. 4 p. 89.

[16]) Liber apologeticus pro assertis in Annalibus Eccl. Baronianis de Monachatu S. Gregorii Papae adversus D. Constantinum *Bellottum* Monachum Cassinatem. Romae 1604. (Cfr. *Montalembert*, Die Mönche des Abendlandes II, 95.) Apologiam istam quae inter opera *Gallonii* recensetur (*Villarosa* I, 140), ad *Baronium* tanquam auctorem esse referendam patet ex epistola quam Parens Annalium ad Antonium *Talpam* d. 4. Febr. 1604 dedit, ubi haec leguntur: Circa l'undecimo tomo delli Annali, nel principio di Quaresima sarà in ordine per darsi in stampa. Saria cominciato questo Genaro, se non fussi stato impedito per rispondere a un libro di un Monaco Benedettino contra quello, che io ho scritto del monacato di S. Gregorio, qual fatiga mi ha tenuto occupato da mezzo Decembre in quà, qual fò che passi sotto titulo del P. Antonio Gallonio.

[17]) Cfr. supra XXXIV, c. p. 53.

CONSPECTUS.

Pag.

Pag.

OPERA EIUSDEM AUCTORIS.

Clementis Alexandrini de λόγῳ Doctrina. Lipsiae 1855.

Papst Nikolaus der Erste und die byzantinische Staats-Kirche seiner Zeit. Berlin 1857.

S. Anselmi Cantuariensis Libri duo Cur Deus Homo. Berolini 1857.

Die vortridentinisch-katholische Theologie des Reformations-Zeitalters aus den Quellen dargestellt. Berlin 1858.

Eusebii Pamphili Historiae Ecclesiasticae Libri decem. Graecum textum collatis qui in Germaniae et Italiae bibliothecis asservantur Codicibus et adhibitis praestantissimis editionibus recensuit etc. I—VI. Scaphusiae 1859—1862; nunc Ratisbonae, sumptibus G. J. Manz.

Analecta Romana. Eine Denkschrift. Schaffhausen 1861.

Monumenta Vaticana unacum Fragmentis Neapolitanis ac Florentinis. Friburgi Brisgoviae 1861.

Misericordias Domini. Freiburg im Breisgau 1861.

Zur Kirchengeschichte des sechszehnten und siebenzehnten Jahrhunderts. Freiburg i. Br. 1863.

De Leonis Allatii Codicibus qui Romae in Bibliotheca Vallicellana asservantur Schediasma. Friburgi Brisg. 1864.

Scriptorum Graeciae Orthodoxae Bibliotheca selecta. Ex Codicibus manuscriptis partim novis curis recensuit partim nunc primum eruit etc. Sect. I—VI. Friburgi Br. 1864. 1865.

In Decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis Animadversiones theologico-canonicae. Friburgi Br. 1865.

Coelestis Urbs Jerusalem. Aphorismen nebst einer Beilage über Hilarius von Poitiers. Freiburg i. Br. 1866.

Meletematum Romanorum Mantissa. Ex Codicibus Manuscriptis eruit recensuit Prolegomenisque et Commentariis instruxit etc. Ratisbonae 1875.

Druck von G. J. Manz in Regensburg.